IDEA MEDICI:

CVM TRACTATV DE SYMPTOMATIBVS CRVDELISSIMIS, QVÆ SCARIficationi & cucurbitularum vſui Brunæ incolis in Marchionatu Morauiæ ſuperuenerunt:

ET

DE FEBRE EPIDEMIA ANNI ab Incarnatione Seruatoris noſtri 1580.

Autore

IOANNE SPORISCHIO AB Ottenbachavv, Medicinæ Doctore.

FRANCOFVRTI
Apud hæredes And. Wecheli,
M. D. LXXXII.

IDEA MEDICI: AVTORE IOANNE SPORISCHIO AB OTTENBACHAW, Medicinæ Doctore.

Quæ in Athleta futuro requirātur.

QVICVNQVE animum applicant palæſtræ, vt boni athletæ fiant, debēt primò quidem animoſi atque audaces eſſe: Timidi enim palæſtræ inutiles ſunt æquè, ac imbecilles choreis. Deinde habitum corporis robuſtum atque agilitate ſua motui ſaltuíque accommodatum habeant. Nimiùm enim obœſi ac craſſi, quorum abdomen pinguedine turget, ad motus ſaltúſque, quos palæſtræ ſtudiū requirit, inepti ſunt, & ſtatim fatigantur eam ob rem, quòd nō tam neruoſi & robuſti, quàm carnoſi & imbecilles ſunt. Tertiò ingenio admonitionis ac inſtitutionis capaci præditi ſunto. Bardi enim ac ſtolidi vt nulli negotio apti ſunt: ita neque palæſtrę pręceptis aures dociles prębere, neq; exercitijs conuenientibus ſeſe accommodare norunt. Quartò teneantur ſtudio deſiderioque

percipiēdi leges, quas in motu corporis atque congressu cum suis ἀνταγωνισταῖς feriendo, cedendo, instando, pungendo declinandóve ictus ἀθληταὶ obseruant: & à iuuentute exercitationes laboresque strenuè subeant.

Exercitatio multum potest.

Sicuti solers cura & frequens exercitatio in omnibus omnium artium disciplinis plurimum præstare valent: ita in palæstræ studijs primas partes iure suo occupant. Quintò athletæ non vulgari, sed exercitato atque probato se erudiendos tradant: atque cum eodem intrepidè, audacter frequenterque congredi non erubescant, cùm primùm tyrocinia artis atque studij illius perceperint. Quod illi ipsi, qui palæstra iuuenes erudiunt atque exercent, à suis tyronibus tanto desiderant conatu ac labore, vt in congressu mutuo etiam commonitionibus audaciam atque animosos spiritus illis addant, & præterea hilari, audaci aliqualiterque truci gestu illorū animis omnem timorem & trepidationem eximere studeant. Sextò plurimum temporis illi studio impendant, vt exercitijs confirmati intrepidè ἀνταγωνισταῖς suis sese opponere, cautos ubique se gerere, ferientes impedire, & deinde fortiùs ferire vel vi fraudéve artificiosa repellere sciant.

Quibus medicus futurus indigeat adminiculis.

1. Natura.

Haud aliter iuuenes, qui ad medicinæ studium animum suum vertere constituunt, principe loco instructos esse oportet natura, quæ sano existens corpore, inclinatione & impetu quodam heroico ad rerum, de quibus

bus medicina tractat, cognitionem ferri videatur. Sicuti enim iuuenis nullus quidquam laudabile, honorificum & vtile in eo studio efficit, ad quod naturalem affectionem minimè habet: Ita nullus ingenuorum iuuenum in cognitione mysteriorum, quæ ars difficilis, laboriosa & periculosa multa ac penè infinita continet, se quippiam effecturum speret, quod laude dignum, & tum sibi, tum alijs admodum vtile futurum sit, si neque impetum & inclinationem ad rerum naturaliũ, de quibus medicina potissimùm tractat, cognitionem animum suum ita occupasse animaduerterit, vt totus ad id studium rapiatur: neque integra valetudine adiutus illi arti gnauiter inuigilare, & multum laboris, diligentiæ atque temporis impendere valuerit. Quemcunque verò natura impetu quodam agit in medici studij tractationem, hîc nõ modò breui temporis spacio in cognitione medicæ artis feliciter progreditur & plurimum proficit, verùm etiam prudenter se illius præceptionibus accommodat atque egregiũ quippiam actu exercitioque præstat. Deinde tum ingenio docili & ad perceptionem artis accommodato sit, tum etiam, præter honestatem vitę ac morum, afferat animum liberaliter politum & egregiè instructum ijs disciplinis & linguis, quæ in medico viro necessariò requirũtur. Inuita enim Minerua ac repugnante ingenio nihil magnopere dignum laude præstiterit vllus

Diligẽtiam sine naturali inclinatio ne parũ prodesse.

hominum, etiamsi natura aut cognitionis cupiditate impulsus alicui disciplinæ sese addiceret, quæ ingenio illius contraria esset. Illotis vetmoianibus diuinæ artis mysteria adgredi non modò stolidi hominis, verùm etiam impudentis ac temerarij est, qui præsidijs humanæ vitæ vtilibus & necessarijs audacter abuti, atque ijsdem vires vitamque ægrorum hominũ ampliùs oppugnare vel planè destruere, vt sæpissimè ab empiricis fit, audet. Huius farinæ homines plurimi in imperijs & rebus publicis hoc nostro æuo lenitate principum & magistratuum, qui prouida mentis solertis prudentia vident omnia in peius de die in diem ruere atque paulatim ad interitum vergere: & ideo conniuent ad prophanationẽ abusumque sacrarum artium, in quibus, secundum veram ęterni DEI cognitionem & sanctissimum Numinis diuini cultum, tanquam in cardine, salus, integritas & propagatio humani generis voluitur: impunè nõ modò feruntur, verùm etiam bonis ac eruditis viris, qui passim medicinam factitant, si non semper præferuntur, tamen sæpenumero æquales censentur. Plerique enim illorum, ut honestum suæ impudentiæ, audaciæ atque inscitiæ prætextum habeant eruditorumque virorum integritatem atque scientiam eleuent, prauas sententias spargunt in vulgus, quod ex mentis impotentia & leuitate citiùs arripit fallacias & mendacia, quàm vera dicta & honesta

Empiricorũ calliditas.

vtilia.

viliaque monita, dum superbè & petulanter iactitant, quòd non tam medicæ artis peritia & medicamentorum noticia, siue etiam experientia necessaria, sit medico, quàm felicitas in agendo, quæ peculiariter etiam ijs contingere soleat, qui nullis liberalium artium disciplinis exculti sunt. Miseri autem homines, quicunque talia dicunt vel etiam approbant, ignorant eos tantùm feliciter agere, qui arte medendi instructi & experientia fulciti cũ ratione prudenti agunt & certum operationibus suis scopum proponunt non modò, sed etiam virtute & auxilio DEI consequuntur: cæteros verò omnes infeliciter operari eam ob rem, quòd neque certum agendi modum teneant: neque medicinæ operationes ad certum finem dirigere valeant: neque sciant, qualis euentus operationes medicamentorum cõsequetur. Multi tamen ex plebe & quoque alij, qui tum autoritate cæteris hominibus præualent, tum non contemnendæ eruditionis opinionem apud imperitum vulgus habent, facilè sibi persuadere ac ab illius generis impostoribus imponere patiuntur, vt æstiment nihil esse discriminis inter eruditos, bonos fidelesque medicos, atque inter idiotas, circumforaneos & sycophantas ineptos. Tertium verò est, quod requiritur in iuuene, qui medicinę studijs mentem suam exornare contendit, vt afferat auidum animum & quodammodo insatiabile desiderium co- III. *Cupido discendi.*

gnoſcendi myſteria, quæ in arte hac, aliàs ab oculis & intelligentia hominum abſtruſa, tum multa, tum valde recondita ſunt. Illud enim perficiet, vt magno animo in honeſto atque vtili ſtudio alacriter progrediatur, neque deterreatur vulgi imperiti obtrectationibus, quæ multorum iuuenum animos ab optimo honeſtiſſimoque inſtituto abducunt; neq; in curriculo cœpto ſuccumbat territus difficultate, quæ huic ſtudio, vt & cæteris diſciplinis, quæ quippiam in ſe diuini, egregij & vtilis negotij continent, cognata eſt, donec metam propoſitam, adiutore & ductore Deo, contingat.

IIII. *Doctores præstantes & fideles.* Quartò non vulgares medicos, neque ἐμπειρικοὺς indoctos ſequatur, à quibus myſteria artis cognoſcere, atq; eorundem vſum addiſcere poſſit. Sed in eo loco, qui ingenijs clementia quadam cœli fauet & rei medicæ non modò materias multas ſuppeditat, verùm etiam exercitia quotidiana, facientibus medicinam exhibet, præceptores ſibi tales eligat, qui κορυφαῖοι ob artis medicæ eximiam cognitionem & eiuſdem celeberrimã feliciſſimamque exercitationem habentur: in docendo etiam fideles atque diligentes deprehenduntur. Oſtentantes verò inanem eruditionẽ & nimis obſcuram peneq; ridiculam ſubtilitatem in tradendis artis præceptis fugiat. Impoſtores enim illi fallaces nil quidquam ſolidæ eruditionis poſſident, & malitioſè iuuenum egregios conatus impediunt,

ne ad

ne ad intima artium vtilissimarum penetralia peruenire tempestiuè possint:

ἁπλῶς δ' ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων.

Ad hæc iuuenis, qui solidam medicæ artis cognitionem expetit, sibi ipsi neutiquam deesse debet, cùm occasio discendi admodum anceps & in occipitio planè calua sit. Multi enim iuuenum ad exteras nationes profecti, vt in celebri doctorum virorum frequentia, tanquam in emporio & mercatura bonarum artium, sibi perfectam eruditionē auscultatione, lectione, meditatione, inuestigatione & exercitatione assidua comparent, atque in patriam regressi illam vsibus publicis accommodent, rerum nō necessariarum cognitione occupantur: peregrinationibus curiosis tempus studijs accommodatissimum terunt, & inanes atque vacui cum ætatis ac pecuniæ iactura, quam fecerunt, redeunt. Præstabilius autem esset ex doctrina Platonis cuiuscunque facultatis studiosos φιλομαθεῖς, φιληκόους καὶ ζητητικοὺς illi rei incumbere, cuius gratia à pijs parentibus peregrè ablegantur magnisq; impensis aluntur, ne miserè spem eorum, seipsos, atque alios fallerent. πολὺ γὰρ κρεῖττον (vt Isocrates in Helenæ encomio ait) περὶ τῶν χρησίμων ἐπιεικῶς δοξάζειν, ἢ περὶ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς ἐπίστασθαι· καὶ μικρὸν προέχειν ἐν τοῖς μεγάλοις, ἢ πολὺ διαφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μηδὲν πρὸς τὸν βίον ὠφελοῦσι. Hac ratione solidum fundamentum

V. *Diligentia.*

Lib. 7. de Re pub.

artis, cui animum applicuit, modò rectè fideliterque tradatur, ponet: præcepta eius celeriter prompteque arripiet, firmiter retinebit & prudenter in lucem vsumque hominum proferet: neque inani scientiæ opinione tumidus sibi atque alijs malum afferet.

Vana eruditionis opinio magnum malum.

Sicuti enim illa multorum hominum animos nimis occupat atque adeò inflat, vt ijdem non agnoscant dona eximia, quibus diuina misericordia etiam alios homines instruit; sed malum magnum in suo sinu foueant, vt testatur Isocrates his verbis, Οὐδὲν οἶμαι τοσοῦτον κακὸν εἶναι ἀνθρώπῳ, ὅσον δόξα ψευδής: Ita tum impedit iuuenes, quò minùs ad absolutam eruditionem perueniant, tum eis incitamento est, vt cum periculo ægrorũ hominum & conscientiæ suæ læsione experimenta suæ artis antè facere in hominum corporibus audeant, quàm artis præcepta integrè didicerunt.

VI. *Animus patiens laboris.*

Sextò medicinæ studiosus laboris patientissimus sit, dum nõ modò bonorum autorum, qui artem illam posteris tradiderunt, volumina euoluit & legendi, meditandi discendique studio recognoscit: verùm etiam medicarum materierum multam & veram cognitionem sibi in montibus, vallibus, fluminibus ac terrę meatibus comparat. Sicuti enim in omnibus negotijs industria vtilior est, quàm ignauia, vt disertè testatur Hesiodus, cũ ait, εὐθημοσύνη ἀρίστη θνητοῖς ἀνθρώποις, κακοθημοσύνη δὲ κακίστη: Ita curriculum medici studij neq; vulgarem diligentiam fert,

fert, neque somnolentum aut ignauum hominem requirit, sed alacrem, gnauum, sedulum & perferentem difficultates eò vsque, dum aliquantum spacij cursu suo perfecit. Tunc enim fastidiũ & difficultas omnis mutatur in iucundam oblectationẽ: & mysteria artis patefiunt ita, vt mens ingenui iuuenis detineatur atque deuinciatur omnino illis studijs. Afferat igitur animum ad labores, meditationes & inuestigationes earum rerum, quæ artem spectant & vsum peculiarem in vita humana habent, intrepidum atque alacrem. Quem confirmabit & in honesta contentione retinebit, si planè sibi persuaserit ingens dedecus ac iugum grauissimum esse cum multis incommodis coniunctũ tam præceptorũ vtilium, quàm necessariarum rerum ignorantiam: aduersus quam medico contendendum est non aliter, atque aduersus hostem maximum, cùm sit noxius mali recònditi thesaurus atq; quippiam ambiguo somnio non absimile habeat. Quoniam in multis hominibus, qui integro ac prudenti aliàs sunt animo, timiditatem agendi: in multis verò & ijs potissimùm, qui extremæ improbitatis sunt, & neque DEVM neque hominum bonorum iudicia verentur, impudentem audaciam & temerariam occidendi homines licentiam parit. Solidam verò eruditionem, cui prudens animus adest, multum honoris, commoditatis & emolumenti afferre hominibus æquè ijs, qui

Inscitia magnum dedecus.

doctorum virorum consilijs parent, atque his, qui bonum tantum ab immortali DEO possident, tum quotidiana in vita ac societate hominum experientia cõprobat, tum hi senarij perspicuè & eleganter docent:

> τιμὴ πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς,
> ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἂν μὴ νοῦς παρῇ.

Quibus omnium disciplinarum studiosi & medicæ artis alumni præcipuè monentur, vt ad perfectam præceptionum vtilissimarum noticiam adiungere conentur animi prudentiam, qua sine præcepta ad vsum transferre & alijs hominibus sibique ipsis prodesse admodum difficile est. Futurus itaque medicus non solùm eos frequenter legat autores, qui de medicis materijs diligenter, fideliter ac rectè scripserunt: sed etiam interdum diuertat ad lectionem aliorum autorum, qui vtilia orbi Christiano monumenta literis consignarunt. Plura enim ex illorum lectione breui temporis spacio cognoscere attento lectori licet, quàm experientia nos per omnẽ vitam erudiret, etiam si per fragilitatem humanarum virium possemus hoc mundi senescentis æuo cõtingere ætatem Mathusalem vel Nestoris. *Experientia præceptis adiungatur.* Præterea non tantùm se frequenter adiungat eruditis medicis, quando ægros homines inuisunt & consilia de morborum curationibus instituunt: sed paulatim etiam operi manum admoueat & in dubijs affectionibus monitus ductusq; exercitatorũ medi-

medicorũ ſequatur. Adquirenda igitur animi prudentia, quæ magnum clementis DEI donum eſt, tum diligenti ac frequenti bonorum autorum lectione, tum exercitijs in vita humana occurrẽtibus. Διπλοῦν γὰρ ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα. Ab hoc ſtudio ne ignauia, aleæ intempeſtiuo luſu, comeſſationibus, deambulationibus, voluptatum illecebris vel inani perſuaſione ſufficientis eruditionis abſtrahatur vnquã, tum exemplum ſapientiſſimi Solonis ſibi ob oculos ponat, qui in extremo ſenectutis tremulæ conſtitutus limine adeò cupidus fuit diſcendi, vt admirandam animi affectionem erga doctrinam Philoſophorũ de animæ immortalitate diſſerentium eleganti hoc verſu expreſſerit, Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος: tum perpendat, quid doctorũ virorum ſenectuti conuenire cenſeat Poëta Græcus, cùm ait, Καλὸν καὶ τῷ γέροντι μανθάνειν σφόδρα. Studium enim medicum tot ac tãta myſteria habet, vt nulla vnquã ætas, nullaque diligentia illi ad eorundem perceptionem ſufficiat, qui ſufficientem ex eo eruditionem ac laudem reportare laborat. Septimum itaque, quod medico futuro neceſſarium eſt, tempus atque opportuna & ſufficiens occaſio cenſetur. Non enim vnius atque alterius anni ſpacio artis medendi pręcepta integrè cognoſcuntur, cùm illius cognitio talis in medico requiratur ab Hippocrate, vt animo medici à natura inſita videatur & dextrè opportuneque

VII. *Tempus & occaſio.*

maturos fructus ferat: Neque vnius atq; alterius ægri fortuita curatio medicum exercitatū, consummatum, felicem atque celebrem facit.

Curiositas impedimentum studiorum.

Præterea medicinæ studiosum politicis domesticisve negotijs nimiùm impediri aut non necessariarū disciplinarum cognitione tractationeq; plurimùm distineri neutiquā decet. Qui enim pluriū negotiorū tricis inuoluuntur, neq; omnia simul rectè curare, neq; singulis tempestiuè conuenienterq; vacare possunt: sed turbato animo ab hoc ad aliud feruntur atq; nullum rectè perficiunt. Postquā autē medicus DEI optimi maximi beneficio in sua professione tantùm progressus est: vt ægris hominibus medicas manus adhibere & medicinā factitare possit: omnem lapidē mouebit, vt bene viuendo ac feliciter operando excellentem autoritatem & celebrem famā apud suos ciues & alios adquirat. Alioqui enim frustra se tempus ac studium impendisse medicinæ cognoscet.

Quales debeant esse medici.

Vt itaq; illud faciliùs rectiusq; fiat, admodū necessarium esse censemus, vt omnium ętatum medici memori mente hęc præcepta, quæ ordine proponemus ex veterum medicorum placitis, circumferant atque ita ob oculos posita habeant, vt vitam & actiones suas toto vitæ suæ tempore ad illa instituere atq; regere enitantur, quantū humana fragilitas fieri permittit. Ita enim fiet, vt hoc nostro æuo, quo maximè illud Hippocratis vsurpari posset, Οἱ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί,

βαιοὶ,neque in illorum numero habeantur, qui medicos bonos & doctos ab impostoribus ac malis nugatoribus discernere præ mentis impotentia & inscitia nequeunt: neq; vllum cum barbaris & vitę humanioris æquè,ac omnis doctrinæ hostibus commercium habeāt, vt vt illi apud vulgus imperitum magni fiant & à sui similibus adulatorum more inanibus ac stolidis encomijs ad cœlū tollantur. Aliàs enim impostoribus ac nugatoribus familiares audire cogerentur illud vulgatum: Ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φίλον, καὶ ἀμαθία θράσος ἀπεργάζεται. Inter eruditos verò & disciplinis vtilibus liberaliter ornatos viros atq; inter laudatos illos sycophantas ἐπιστήμῃ δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ οὐ πλήθει, si volumus prudētes esse, neq; cū imperita multitudine aut in errorib. & incertis opinionib⁹ fluctuare, sicuti nauicula, quę sine nauclero in mari spacioso iactatur, vario ventorū turbine, neq; portū vllum recto cursu petit: aut cū valetudinis vitæq; nostræ discrimine ab illis miserè decipi. Quod itaq; primū ac pręcipuū homini, pręsertim Christiano, esse debet, id ipsum à medico, qui in Christi corpore viuū membrū pmanere laborat, nullo modo alienū esto, nimirū pius sit & in vero veri DEI timore viuens, se, valetudinē suā, & oēs cùm cogitationes tum operationes pijs precib⁹ DEO cōmendet. Quod vt & ardentiore & crebriore zelo faciat, statuat non modò DEVM vbiq; pręsentē actionū humanarū inspectorē & cogitationū

Cognitione mentis, non opinione vulgi iudicandum de medicis.

Pietas medico necessaria.

DEVS omnia videt.

DEVS rogatus iuuat nostros labores.

in imo pectore latentium solertissimum exploratorem tum demum dignari nostris adesse conatibus ac laboribus, quando pium ac benignũ illius auxilium iustis atq; assiduis precibus indesinenter nobis exposcimus: verùm etiam sibi persuadeat neminem hominum vel potentissimorum vel sapientissimorum quidquam liberè promittere, feliciter agere aut cum laude atque vtilitate prestare posse, quando benigno summi Numinis fauore destituitur. Illud animaduertẽs doctissimus Græcorum Poëtarum Homerus non sine mente dixit: Ἐθέλον Θεῶ χεῖρας ἀνισχέμεν, αἴχ' ἐλεήσῃ. Imò ipsam pietatem hominum omniũ adeò gratam immortali Deo accidere, vt bonis præsentibus ac præmiis æternis ab eo ornetur, non solùm vnanimis sacræ scripturæ consensus multis promissionibus & exemplis abundè docet & apostolus Paulus expresśè testatur: verùm etiam ethnici saniores viderunt quippiam diuini & singularis ornamenti inesse hominibus pijs, vt admiratione ductus Homerus in hac re dixerit βέλτερον ἤματα πάντα μετ' ἀθανάτοις ἀερίζειν. Hoc pietatis studium sicuti in quouis vitæ mortalis genere hominibus omnibus summè est necessarium: ita medico vtilissimum ac conuenientissimum erit eam ob rem, quòd adũstens ægris cognoscet, quale subiectum sit suæ artis, nimirum homo ad imaginem viui Dei conditus & anima rationali ornatus. Quod eum ad maiorem diligen-

Homo nihil valet sine DEO.

Pietas mercedẽ à DEO habet suam.

Subiectum medicinæ.

ligentiam, integriorem fidem & vigilantiorem curam excitabit, quando ægrorum hominum saluti consulet. Secundò commonebitur de humana fragilitate, quæ propter peccata varijs multisque obnoxia est ærumnis & innumerabilibus penè morbis, quibus dextrè, tempestiuè & prudenter obuiam ire ac diligentem se in suo loco suoque munere DEO & hominibus præstare conabitur. Suæ quoque sortis memor non planè adijciet animum rebus caducis: sed illis tanquam bonus dispensator prudenter frugaliterque ad laudem DEI, Ecclesię Christianæ crementum, suam necessitatem atque proximi vtilitatem vtetur, & subinde pijs meditationibus atque exercitationibus se præparabit, vt euocatus ex mortalis vitæ statione piè mori atque cum Christo & sanctissima omnium electorum corona in cœlesti patria æternùm viuere possit. Excludi enim inde miserrimum erit. Secundò medicus omnibus modis operam dabit, vt, quantũ humanarum virium imbecillitas & corporis mortalis infirmitas concedent, mente sana in corpore sano per maximam vitæ suæ partem fruatur: validas & professioni suæ conuenientes vires habeat: faciei colore optimo & membrorum totiusq; structuræ corporeæ habitu bono atq; decoro esse appareat. Aliàs enim ei optimo iure obijcietur illud vulgatum in medicos dicterium, quo medici suorum corporum curam habere

Medicus nouissima sua cogitet.

Sanitas medicis vtilis.

Suā valetudinem negligentes aliis consulere in morbis, difficile possunt.

iubentur. Neque sanè immeritò. Constat enim eum minimè alijs prospicere, multò minùs consulere posse, vt integra sanitate diutissimè fruantur vel à morbis liberentur, qui suorum corporum curam habere nequeunt. Ægri etiam homines difficiliùs medicis consilijs parent: taceo, quòd medicos ipsos rideāt & contemnant, quos circa curam suæ incolumitatis negligentiores aduertunt, quàm viros doctos & prudentes decet, cùm æquum sit etiam infimum quemque ex plebe huic curæ, quantum potest, incumbere. Imò prudentiores homines facilè eiusmodi medicis occinunt illud Poëtæ:

Ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί·
Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γιγνώσκομεν.

Prudens animus cum bonis moribus requiritur in medico.

Tertiò, animi mores quod attinet, id operæ ac diligentiæ medicus omnino dandum censeat, vt omnibus tum ægris, quorū curam suscipit, tum amicis & ijs, quibus in quotidiana conuersatione frequenter vtitur, videatur non modò, sed etiam sit prudens, verecundus, probus, integer, grauis, modestus, industrius, constans, cordatus, prouidus & cautus, vt tempore & loco personis singulis affabilem & sermone ac gestu mitem se ostendat. Eiusmodi enim animi dotes quanto magis in quotidiano hominum congressu in viris doctis emicant atque conspicuæ apparent, tanto maiorem tum admirationem, tum fauorem atque amorem in

alio-

aliorum hominum animis excitant, vt eos colant, venerentur, plurimi faciant, atque eorum consilia expetant. Mansuetudo etiam ac lenitas tam in verbis, quàm gestu ac vultu mirificè conciliant & mouent animos hominum, vt omni honore & obseruatione eos dignos censeant, in quibus has vultus, sermonis & gestus illecebras mirandaque honestissimarum virtutum ornamenta effulgere aduertunt. Quod innuere voluit Menander, quando scripsit in hunc modum: Ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκραμένη. Omnibus itaque modis vir medicus, qui eruditionis fama inclarescere & felicibus successibus commendari gaudet, cauere debet, ne videatur austerus, superbus, petulans, iracundus, contentiosus, scurrilis & leuis, sicuti plerumq; sunt improbi, audaces & indocti homines, quorum mores omnium bonorũ odio & execrationi optimo iure subiacent. Ita, quod in consultatione de rebus publicis Hesiodus fieri commemorat his verbis:

Animi dotes conciliant medico beneuolentiam.

—Αὐτὰρ καλέουσι γέροντα,
Οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων
Λήθεται, ἀλλὰ δίκαια καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν,

etiam plurimi ægrorum hominũ, quando spes de vita ac valetudine recuperanda illis in arcto erit, ad eum confugient, quem placidum, mitem, affabilem, eruditũ & agendo felicem medicum audiuerint: negligent verò semidoctos, superbos, audaces ac importunos, qui leuitate

aut cōtendendi proteruia ſeſe efferre & ſe ipſis doctiores contemnere ſolent. Quod faciunt plerumque δοξόσοφοι & ſcioli, quorum in animis nihil, niſi vacuam & ſtolidam ſummæ eruditionis perſuaſionem reperies, quoties periculum & examen de illorum famoſa eruditione facere libuerit. Quartum medici ornamentum eſt taciturnitas, quam faciliùs & rectiùs colet, ſi illud Iſocratis in mentem ſibi frequenter reuocauerit: Δύο ποιοῦ καιροὺς τοῦ λέγειν, ἢ περὶ ὧν οἶδα σαφῶς, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἄμεινον σιγᾶν ἢ λέγειν. Multa .n. ſunt tum artis myſteria, tum ægrorum hominum mala, de quibus ne in priuatis, multò minùs in publicis congreſſibus mentio fieri debet: Multa etiam ab ægris ipſis aliquando dicuntur ac fiunt: multa in ædibus eorum committi aduertūtur, quæ extra limen nunquam efferri prudens medicus nouit. Nunquam itaque intempeſtiuus ſit loquēdo de rebus, quæ ad ſe aut præſens negotium, quodcunq; acturus erit, minimè pertinere intelliget. Sed cogitet linguam prudentibus viris theſaurū concreditum eſſe, qui magnum bonum gignere habenti & alijs hominibus poſſit, quando dexter eius vſus, qui à ratione intelligenti regitur, accedit: imprudentibus verò magnum ac noxium malum adducit, quando immoderatè vel intempeſtiuè eo vtuntur, cui ſententiæ ſubſcribit Heſiodus, vbi ait:

Silentium medicos ornat.

Linguæ vſus bonū & malum gignit.

Γλώ-

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Nunquã etiam curiosè percontetur res nouas, ficuti faciunt ij, qui nouitatis auidos animos gerunt, & citra omne iudicium rationis, vera atque falsa non modò muliebri credulitate accipiunt, sed etiã in vulgus spargere audent aliquando cum suo proprio malo, quod cum magna animi mœsti pœnitentia serò nimis intelligũt. Constanti enim rumore postea mendacij conuícti in ruborem cõuertuntur, & hoc præmij recipiunt, vt in posterum illis non facilè fides adhibeatur, etiamsi vera dicant: sed rideantur atque contemptui propter leuem credulitatem atq; inconsideratum linguæ intemperantis vsum fiant. Quintò putet medicus cũ futili vaniloquio & scurrili petulantia concurrere ac idem vituperium mereri vanam iactantiam stultamque ostentationem atq; deprædicationem suæ eruditionis, felicitatis aut cuiuscunque virtutis vel vitij: Et eam ob rem teterrima hæc vitia cane & angue peius exosa habeat, detestetur atque fugiat, etiamsi plurimi, aliàs non indocti medici hac re celebrem famam consequantur apud fœminas ac imperitum vulgus, cùm in eiusmodi medicis minus animosæ eruditionis, quàm ineptæ loquacitatis, esse nemo prudens ignoret. Sicuti enim vas vacuum, si digito malleóve tundatur: aut vesica, cui tres quatuórve lapilli iniecti sunt, cùm

Auidus nouitatis non sit.

Garrulitas noxia.

Loquaces medicos vulgus eruditos censet & amat.

mouetur, multum sonitum strepitumque edit: nihil verò soni nullusque strepitus auditur, quando ad summum replentur & concutiuntur, sed grauitate præualent, ne facilè loco moueri possint: Ita medicus, cui vera eruditio non contigit, multa intempestiuaque loquacitate sese effert, vt inscitiam suam apud imperitos homines tegat, cùm verè docti ac prudentes medici moderatè se gerant in hac parte, vnde fit, vt difficulter percontationibus aliorum euacuari possint. Petulantis autem ac loquacis linguæ homines, præsertim ij, qui apud ægros suos nil quidquam ad rem pertinentia garriũt, & suam cùm eruditionem, tum experientiam atque felicitatem in curandis morbis, instar gloriosi militis, magnificè & sesquipedalibus verbis sępiùs, quàm veritas & necessitas rei exigit, ostentant, cæteros verò omnes contemnunt, risui atq; despectui facilè sese apud vulgus, maximè tamen apud prudentes & cordatos viros exponunt: vt vt multi hac ratione imperitæ plebi & fœminis loquacibus placere, se ipsos commendare & compendia crebriora ad quæstum faciendũ quærere videantur. Quemadmodum enim turpe est medicum gloriari de eo, quod in sua potestate non habet, sed misericordis DEI donum optimo iure perhibetur: Ita honestissimum ducunt omnes prudentes homines artificis industriam, solertiam, fidem, integritatem ac felicitatem cõmendari ab ijs qui

Garrulitatis & iactantiæ incomoda.

qui artis præsidia & medici diligentem curam experti sunt. Modestè verò de se & suis operis sentire ac loqui, vbi res, tempus & personæ vel requirunt vel patiuntur, non vituperio vlli hominum datur, qui hoc agit, vt veritati consentanea dicere cognoscatur. Etsi enim multi homines gestu risuq; aliquando simulant se delectatione iucunda affici, dum medici vel alij ridiculi gesticulatores risum aliorum captant & hac ratione alijs placere mirificè student: tamen boni prudentesque viri aut aliquando tacitè cogitant, quod ille apud Homerum dicit: Καί π' ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον: aut facetè & salsè ineptias tales reprehendunt, quòd sciunt atque intelligunt homines multi sermonis difficulter veritatis ac secreti tenaces esse, & illiusmodi garrulos tum sibi ipsis, tū alijs quandoq; nocumento & ineuitabili periculo esse. ῥῆμα γὰρ παρὰ καιρὸν ῥηθὲν ἀνατρέπει βίον. Cogitet autē medicus ægros homines, siue illi sint magnę autoritatis, siue è media plebe, morionem, qui ridiculus esse possit, quotidie inuenire & leui victu atq; amictu conductum fouere: cùm medici eruditi, boni & fidelis operas rarò & non, nisi magno ære ad tempus conductas, habere possint ac velint. Inuenias etiam multos homines, qui tempore sanitatis inter pocula, ubi tamen lepôres vrbaniquc ioci, si tempestiuè, parcè ac salsè adhibeantur, locum habent, taceo de eo tempore, quo morbis conflictan-

Scurrilia dicteria quid efficiant.

Bonos medicos non vili mercede conduci.

Medici loquaces difficiles ægris.

tur & non tam iocos morionum, quàm fideles medici prudentis operas desiderant, tantopere abhorrẽt audire garrulorum loquacitatem, vt illos longissimè à sua mensa remotos esse, quàm surdis admodúmve molestis auribus audire optent. Quam ob rem non imprudenter poēta Græcus ait: Ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος. Qui denique suam turpitudinem & improbitatem incontinenti lingua reuelat, semet ipsum despectũ facit & alijs ad improbitatem viam aperit. Multi enim, sua natura & consuetudine boni, possunt aliquando malo exemplo eorum, qui alicuius eminentiæ & dignitatis titulo antecellunt cæteris hominibus, deteriores & nequiores fieri, vt virtutis ac honestatis in quotidiana hominum conuersatione necessariæ viam paulatim exosam habere incipiant, atque ad omnia crimina & turpissima scelera proni non modò deflectant, sed deinde etiam πρόφασιν τῆς πάσης κακίας exempla doctorum virorum adducant: cùm tamen scire deberent scelus non eo nomine virtutem dici, neq; turpem infamiam atq; pœnam effugere, quòd principes aut fama eruditionis celebres viri, imbecillitate carnis humanæ quandoque victi, illud priùs commiserint. Meminerint itaq; medici apud ægros homines percontandum & loquendum de ijs, quæ necessaria sunt ad ægrorum corporum sanitatem restituendam: sic uti apud sanos locum habent quæstiones & narra-

Iniustum errorum patrocinium.

narrationes neceſſariæ, honeſtæ ac vtiles. In quibus grauitatem quandam, cui comitas & prudens manſuetudo coniuncta ſit, apparere admodum iucundum eſt. Octauò vitam moderatam & cùm bene diſpoſitam, tum circumſpectam agat, ne videatur moribus diſſolutus eſſe, ſuam valetudinem & famam honeſtam negligere, nihilque amplius intelligere, quàm infimus quiſque ex plebe. Hoc ei apud alios homines plurimum autoritatis & exiſtimationis conciliabit. Odit enim DEVS vehementes impetus: odêre eoſdem etiam ciues: cùm moderatio prudens mirificè DEO & optimo cuiq; hominum grata ſit. Qua de re auream mediocritatem commendare poſteris volens Homerus ait: ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα. Vbi enim conueniens moderatio affectuum, geſtuum ac ſermonis in homine apparet, ſtatim arbitramur prudentem bonamq; mentem illi à DEO contigiſſe, quæ eum idoneum tractationi cuiuſque negotij facit. Nonò temulentiam, crapulam, intempeſtiuam aleam, perditum luſum & procacem leuitatem famæ atque integritati tum omnium bonorum nocere, tum præcipuè medicorum honori atque bono nomini incommodum afferre putet, qui facturus medicinam non ſolùm virorum, ſed etiam fœminarum ac virginum curam ſuſcipere cogitur: & cum variæ ætatis, varij ſexus varijque ſtatus hominibus congreditur: vbi eum tum præſentem ani-

Vita medici compoſita eſto.

Quæ vitia vitanda maximè.

mum habere & affectus gestúsque suos intra honestatis ac continentiæ terminos retinere omnino necessum, admodum piū decorúmq; est. μακάριον γὰρ φρόνησις ἐν χρυσῷ τρόπῳ. Præterea lasciuiam, fornicationem, impudicitiam impuritatémque vitæ detestetur atq; fugiat. Et hoc cùm admodùm difficile sit factu ijs, qui nondū coniugij septis inclusi sunt, tum ob fragilitatem humanæ carnis, tum mūdi illecebras: medicus memor præcepti, quod apud Platonem libro 7. de Legibus his verbis extat: Μηδένα πλημμελεῖν, μηδενὸς ἅπτεσθαι, πλὴν γαμετῆς ἑαυτοῦ γυναικός, studeat secundum immortalis DEI æternam & immutabilem voluntatem necessariámque de propagatione hominum prouidentiam sibi inuenire legitimam coniugem. Ita enim commodiùs intra continentiæ fines affectus cupidinémque retinebit, bonus paterfamilias esse laborabit, atque ægris hominibus minore cum difficultate adesse operámq; suam fideliùs conferre poterit, quàm cùm maritali iugo solutus viuit & alienorum opera vti cogitur in ijs quæ ad quotidianum vitæ humanæ vsum necessaria sunt. Huic cōmonitioni vt toto vitæ suæ tempore commodiùs pareat & dignam sua persona suáque professione vitam agat, non modò bonorum atque honestorum virorum conuersatione plurimùm ac præcipuè vtatur: prauos verò, impuros & petulantes, tanquā corruptores honestæ existimationis & integritatis, à sua fami-

Medicos maritos esse conuenit.

familiaritate alienos faciat: verùm etiā in conuiuijs rarus sit, & vini largum vsum euitet, in quo luxuria & incendium libidinis perhibetur esse. Quod vt promptiùs faciat, nunquam animo suo excidere patiatur auream hanc diui Hieronymi sententiam: Nihil adeò obruit intelligentiā, sicuti comessatio & ebrietas: quam etiam Philosophus Seneca voluntariam insaniam esse asseuerat. Turpe enim & noxium valde est medicum ac Philosophum scire ex intemperantia & incontinentia non aliter, atque ex vberrimo fonte scaturire fœcundam materiam plurimorum morborum atque corruptelam certissimam virtutis, honestatis iudicijque ita, vt cum sanitate corporis iacturam faciant prudentiæ, quicunq; temulentiam longa consuetudine inducti affectant: & tamen in eodem criminum hęrere luto, ex quo ęgros suos commonitionibus, consilijs & auxilijs aliquando educere debent. Præterea naufragium autoritatis & continentiæ patiuntur, quicunque nimio vini vsu delectantur. Occasionem enim peccandi vitare nequeunt, cùm inter virtutem ac vitium æquè, ac inter honestatem & turpitudinem ratio titubans vinóque corrupta aut planè obruta discrimen nullum videre, neque vllum decorum, quod tempus, locus, negotia & personæ requirunt, obseruare valeat. Ebrietas enim, teste Origene, facit ex homine bestiā, ex robusto infirmū, ex prudente fatuum. Cui

In vino luxuria.

Ebrietas insania.

Intemperantia fons morborum & vitiorum.

Ebrietatis vituperiū.

ſententiæ aſſentitur diuus Auguſtinus, cùm ait ebrietatem eſſe blandum Dęmonem, dulce venenum, ſuaue peccatum. Aufert enim illa memoriam, diſſipat ſenſus & confundit intelle-ctum. Nunquam autem quiſquam diſertiſſimorum Philoſophorum, etiamſi hoc anxiè & doctè conaretur facere, viris prudentibus perſuaſerit homines temulentiæ, crapulæ ac luxui deditos præſentem mentem habere, & rerum grauiſſimarum, quales in morborum curationibus occurrunt medicis, tractationem atque inueſtigationē prudenter, cautè & dextrè ſuſtinere poſſe. Quemadmodum hoc diſertè Athenæus affirmat, vbi Niniæ mores ignauos reprehendit & inquit: ἄριςος ἐσθίειν καὶ πίνειν, τὰ δ᾽ ἄλλα κατὰ πέτρων ἄθει. Eiuſmodi enim viuendi conſuetudo prauis ſuccis corpus vniuerſum replet, qui craſſos ſpiritus generant, à quibus facultates & organa læduntur, actioneſque naturalis & vitalis facultatis languent: ſed animalis facultatis functiones aut admodum debilitantur aut omnino corrumpuntur. Ob id non malè ſenſiſſe videtur Græcus, qui tradit παχῦν γαςέρα λεπτὸν οὐ τίκτειν νόον. Curam igitur atque diligentiam accuratam medicus adhibeat, vt ſobriam & temperantem vitam agat, mentis iudicium firmum & ſanitatē corporis integram pèr plurimum vitæ caducæ curſum habeat ac retineat. Sic certè nullo non tempore inuenietur σώφρων ἐς τὰ μάλιςα καὶ δραςήριος, καὶ δεινὸς ἁρμόσαι

Medicos ebrioſos malè iudicare.

Medicos ſobrios eſſe decet.

μόσιαδξ τοῦ παρεμπίπτοντι, καὶ παραστῆσαι οἷός τε τοῦ λόγῳ τὰ βεβουλευμένα. Plurimos autem hoc nostro tempore reperias in ordine medicorum non vulgariter doctos, qui egregiè & copiosè ægris hominibus, quorũ curationi incumbunt, præcipiunt de abstinentia & temperantia in cibo & potu æquè, ac alijs, quibus humana vita necessitatis vel voluptatis causa persæpe vtitur, vt plurimùm tamen abutitur, diligenter obseruanda: cùm illi ipsi ebriosi sint & nihil prius, nihílq; iucundius sibi accidere posse statuant, quàm cùm in conuiuijs multitudine vini debilitantur & ita infirmi dimittuntur, vt neque mens, neque manus, neque pedes officium suum facere valeant. Taceo iam de quibusdam epulonib⁹ & gulosis comessatoribus, qui nunquam cibo nimis auidam aluum saturare possunt, licet σωφροσύνη σώζουσα ἡ τὴν φρόνησιν. ¶Turpis verò ebrietas & perniciosa crapula quantum malorum humano generi afferant, nemo satis explicare potest. Quam ob rem tum omnibus hominibus, tum medicis in primis fugienda est. Temperantes enim & sobrios eos vel maximè esse decet, cùm ægris quacunque diei noctísq; hora parati esse cogantur, si fideliter suo munere fungi volunt. Tunc autem, cùm ægris hominibus subitum auxilium admouendum, cõsilium dandum aut consolatione mentibus afflictis & de morbi exitu anxijs occurrendũ, mens vino sepulta nihil solidi iudicij habet, ni-

Pleriq; culpant alios et non sine crimine viuũt.

Arist. lib. 6. Eth. cap. 5.

Medicos semper paratos esse debere ægris, quod ebriosi nõ facere possunt.

hil sanæ rationis possidet, nihil cum prudentia decernit, nihílque cautè pronunciat: sed errat ac semetipsam confundit, vt non videat, quid præsens negotium requirat. Nullus præterea ægrorum hominum, modò ij sibi mente constent, est, qui ebriosi medici consilio vti vel monitis illius parere velit. Imò quantò sunt delicatiores ægri, tantò magis abhorrent à fœtore oris, qui excitatur à vino, dum in ventriculo repleto cruditatem eructando & exhalando indicat: multò verò magis abstinent ab illiusmodi medicorum consilijs. Vt itaque in suspicionem temulentiæ medici non incidant, quando ægros suos inuisunt, dent operã, vt sobriam temperantiam constanter colant, neque ex ingurgitatione vini immodici, neque esu allij, ceparum, porri, raphani aut similium rerum, quæ fœtore graui spiritum oris inficiunt, ingratum fœtorem exhalent. Hanc autem mentis impotentiã in ebriosis eleganti similitudine depingit Isocrates, cùm inquit in oratione ad Demonicum: ὅταν ὁ νοῦς ὑπὸ οἴνου διαφθαρῇ, ταυτὰ πάσχει τοῖς ἅρμασι τοῖς τοὺς ἡνιόχους ἀποβάλλουσιν. Decimò medicus ornamentis animi, de quibus hactenus diximus, sufficienter instructus corpus suum neutiquam negligat, cùm illud sit animæ agentis domicilium, quod politum ac nitidum esse nõ iniuria debet, quando purum & à Deo eximijs dotibus ornatum hospitem sustinet. Incumbat igitur in id, vt amictum mundum, mediocrem

Prudens ab ebrijs medicis cauet sibi.

Medici habitus.

diocrem & tum elegantem, tum fragrantiam non ſuſpectam ſpirantem habeat. Veſtis enim honeſta & perſonę officióque conueniens addit magnū decus viro, & cum hominibus magis commendat, quàm ſi auro & gemmis vndique niteret & effœminatam mollitiem vel ſcurrilem leuitatem ſuo veſtitu oſtenderet. Fucum autem omnem ac luxum γυναικείοις conuenientem, quantum poteſt, vitet aut diſſimulet, ne videatur affectato ornatu, inſtar pauonis admirantis ſuas pennas, inſoleſcere & admirationem vulgi quærere. Ægri enim homines non ornatum medici quærere & videre, ſed artificis operas & agendi felicitatem experiri malunt. Vbi & illud tenendum, quòd congreſſurus cum hoſte ægri hominis medicus non debeat accinctus ire gladio, ſed inſtructus artis præceptis & præſidijs ſaluberrimis, quibus vis morbi oppugnari & ſanitas in integrū ſtatum reſtitui poſſit. Plurimi enim hoc noſtro æuo parum memores Hippocratici præcepti, quo medicum nihil ænei ſecum geſtare vult, inſtar militum aut gladiatorum enſe inſtructi ægros ſuos viſitant, ac ſi cum ijs in arenam deſcendere & infenſis animis armíſq; decertare deberent. Num hoc hoſtilis animi indicium erga morbum eſſe: an inimicitias cum hominibus gerentes armis ſe munire: an præter venena inconuenientiáque medicamenta, qualia ab imperitis impoſtoribus, qui plerumque inſcitiam

Medici non ſint compti vt fœminæ.

Armati medici.

ſuam tali habitu velant, offerri ſolent, etiam armatas enſe manus ægrorum hominum corporibus adhibere: an verò autoritatem ſuam hoc armorum habitu in liberis & bene conſtitutis vrbibus, vbi pacis & iuſtitiæ leges vigorem ſuum habent, amplificare velint, nondum intelligo. Hoc ſcio, quòd ſit admodum ineptum lateri adhærere onus ferreum, cuius nullus apud ægros vſus eſt. Anxij enim & de vita incolumitatéque ſuorum corporum ſoliciti ſe neque iugulari, neque impeti, neque defendi armis, ſed conſilio operiſque medicis iuuari deſiderant ægri, vt à morbis eluctentur. Vndecimò medicus non facilè, neque effusè apud ægros homines aut etiam alios, quibus cum quocunque loco verſabitur, rideat. Præter id enim, quod laſciui ac diſſoluti moribus cenſentur ij, qui facili de cauſa cum cachinno plurimo rident, homines ægri, qui aut graues prudentéſque ſunt, aut doloribus affliguntur & moroſi impatientéſque ſua natura apparent, magnopere moleſtia affici ſolent intempeſtiuo tum medici, tum circumſtantium riſu, ſicuti æquiore animo ferunt hos, quorum animos mœrore & dolore affici vident ob cruciatus, quos ab ægris ipſis ſuſtineri audiunt. Adeò enim intempeſtiui accidunt ægris riſus, cachinni & ioci adſiſtentium hominum: atque ex funere amicorum vel rei familiaris iactura mœſtis atq; perturbatis ſuauiſſimæ harmoniæ, muſici concentus & alia adhiben-

Incontinenter non ridendum.

Ioci apud ægros intempeſtiui.

adhibentur, quæ solent lætitiæ excitandæ causa ab hominibus vsurpari. Medicus itaque non modò semet ipsum continebit, ne intempestiuè aut nimiùm rideat, quoties ludicra proferuntur aut gerũtur ab hominibus, quibus cum cõuersabitur: verùm etiam risum aliorum scurrilibus iocis ineptísve gestibus captare, maioris autoritatis & grauitatis causa, verebitur. Ita fiet, vt medicus ægro homini, cuius fauorem sibi summè conciliare debet, magis gratus sit & spem magnam faciat de fideli curatione atque felici euentu. Quod ad morbi curationem multum momenti afferre docet Auicenna 6. Naturalium his verbis: Fiducia, quam æger de medico concipit, & arti & consilio & omnibus medicinæ instrumentis præferenda. Dum autem conatur hoc apud ægrum obtinere, cautè obseruet, ne adulationis suspicionẽ tam apud ægros ipsos, quàm circumstantes incurrat: & tamen omnibus animi intentionibus hoc agat, vt ægro iucunda voluptatémque inducentia parcè atque tempestiuè dicat ac faciat. Ita enim effectum dabit, vt magis obsequentes ægros habeat in omnibus, quæ agenda erunt. Si autem medicus dixerit vel fecerit ea, quæ ingrata sunt & ægri animum offendunt, facilimè ab eo contemnetur. Accedit & illud mali, quòd experientia cognitum sit subitis affectuum motibus, quos intempestiui rumores & nuncij excitarant, plurimos homines exanimatos fuisse

Fauor ægri confert medici operis.

Adulari medicos non decet.

Motus animi malum gignere.

& celerrimè è mortalium consuetudine abijsse. Hoc ipsum pluribus exemplis comprobant Plinius lib. 7. Natur. Hist. cap. 53. & Valerius

Continētia medicos ornat.

Maximus lib. 9. cap. 12. Duodecimò medicus oculos continentes manúsque abstinentes habeat in omni loco, ne cognoscatur moueri vlla re, quę sensibus externis occurrit. Ita enim fiet, vt animo præsenti sit & paratus inueniatur ad omniū negotiorum tractationem, quæ medici viri conditio, tempus item, locus & per-

Curiosi ad consultationes inepti.

sonæ requirunt. Curiosi verò & soliciti indagatores rerum, quæ offeruntur aliquando sensibus externis, dum res aliæ ac magis necessarię agendæ sunt, rarò serijs & arduis rebus aduertentem animum habent: rarò etiam prudenter in medium de præsentibus negotijs cōsulunt. Imò suspicionem imprudentiæ ac impudentiæ apud præstantes atque cordatos viros non effugiunt, quod tantum crimen est, vt ex eo omnem turpitudinem nasci posse testetur Xenophon, cùm ait, τὴν ἀναισχυντείαν μεγίστην εἶναι ἐπὶ

Tolerantia necessaria est.

πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμόνα. Decimotertiò inspiciat theatrum humanæ vitæ: & deprehendet, qualis sit omnium mortalium conditio in hoc mundo. Nam hoc pacto, dubio procul, cognoscet nullum statum esse in hac ærumnosa vita, qui non expositus sit aliquibus oneribus & miserijs, vt bene ac feliciter cum hoc homine egisse videatur diuina clementissimi DEI prouidentia, qui minimis malis in vario vitæ humanæ

thea-

theatro premitur. Monstro autem similis inter homines ageret, qui nullis vnquam exercitus malis vitam duceret. Hoc illi documento sit, vt intra fortunę suæ limites maneat, temporibus sese accommodet, præsentia moderatè ferat, neque fortunæ iniquiori succumbat, neque nimia rerum prosperitate elatus atque victus in vllum malum incidat. κίνησις γὰρ καὶ μεταβολὴ τῆς φύσεως ἡ τύχη. Siue itaque aduersa fortunæ instat violentia, animo forti duret, sicuti viros prudentes atque magnanimos decet: neq; præsentia contemnat, neque maiora venari intempestiuis conatibus laboret: μεγάλα γὰρ διώκειν, καὶ τὰ παρόντα οὐ φέρειν, μαινομένων οἱ τρόποι: Siue æquiore fortunæ fauore adiutus feliciter agit, non nimis animum erigat, neque temere fortunæ blandicijs fidat. In summo enim statu prosperitatis cùm nos consistere opinamur, splendor fallacis fortunæ interim tristi infelicitatis nebula obscuratur: interim omnino frangitur: sæpenumero etiam malo multat tanto, vt prioris felicitatis nos pœniteat pudeátque. Si itaque vnquam magis opus est cauta ac prouida attentione, certè tum medicum prudentem & suarum rerum non ignarum esse decet, quando blandiri sibi videt omnem fortunæ operationúmque euentum, ne in subitum aliquod malum præcipitetur, veluti incautis & imprudentibus accidit. Quam mentis prouidæ solertiam & curam mirificè commendat

Homo miseriis obnoxius.

Vtramq; fortunā ferendam.

Fortuna instabilis.

Fortuna fauente prouidè agendū.

Euripides, vbi inquit: Σώφρονος ἀπιστίας οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς. Vbi enim exemplis tum aliorum hominum, tum suæ sortis confirmatus at-

Animus expertus nulli fortunæ cedit.

que experiētia satis edoctus animū ad omnem fortunæ mutationem paratum, munitū ac confirmatum habuerit, facilimè ac felicissimè omnem varietatē, quæ rebus humanis frequenter accidit, non modò placidè sustinebit, sed etiam perferendo prudenter durabit, dum æquioris temporis melior spes ac feliciores suc-

Spes impudens.

cessus affulgeant. Spes enim corrigendæ fortunæ admodum impudens & valde audax aliquando multorum hominum animos erigit & sustinet, ne ærumnis subitò cedant, néve malorum mole omnino opprimantur: sed durent & meliori fortunæ inter afflictiones seruentur. Qui verò in arduis tentationibus atque ærumnis constitutus, virtute DEI adiutus, constan

Durare in aduersis prodest.

ter perseuerat & in pio honestóque vocationis suæ periculo permanet: non pœnitendos constantiæ suæ fructus fert. DEVS enim, omnis consolationis fons ac omnis boni origo, fidelis

DEVS aduersis termi num ponit.

atque verax est, nec suos vnquam vltra vires tentari sinit, sed cum tentatione exitum felicem dat. Plerumque autem ad duras aduersitates & magna fortunæ incommoda sequitur insperata, magna, & acceptanda felicitas, quæ facili negotio rependit iacturam rerum, quam tempore infelicitatis homines prudētes æquo animo tolerarunt. Denique res tum prospe-

ræ,

ræ,tum aduersæ viros exercent, & eorum animos instruunt experientia, vt prudentia & animi magnitudine pluribus in societate hominum præstent. Hinc est, quod dicit Philemon:

Prospera excipiunt & probant homines afflictos.

Ἐν ταῦτ' ἀνὴρ γάρ ἐστιν ἀνδρὸς διάφορος,
Ἐν τῷ τι τὰ κακὸν εὖ φέρειν καὶ τἀγαθόν.

Ita verò, quod quartum supra decimum preceptum esto, medicus diuitias æstimet, vt neq; in rebus quærendis nimiùm auarus deprehendatur: neq; in paratarum rerum vsu vel potiùs abusu & profusione prodigus cognoscatur: neq; in quotidiano victu sordidus ob nimiam tenacitatem appareat. Auaritia enim & nimia cupiditas possidendi diuitias multis hominibus est incitamento ad horrenda mala, qui iustitiæ & mutuæ postmodum charitatis parùm memores per fas nefasq; rapiunt ac corradunt opes, cùm interim ignorent μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσα ἄτῃσιν. Hi autem non modò rebus suis nihil addunt, quòd malè parta malè dilabuntur, & aquilarum pennas imitantur auferendo consumendóque id, quod bono iustóq; titulo partum fuerat, vt prudenter docet hac de re Isocrates, cùm ait τοὺς χρηματισμοὺς τοὺς παρὰ τὸ δίκαιον γιγνομένους ἡγεῖσθαι μὴ πλοῦτον, ἀλλὰ κίνδυνον ποιήσειν: Sed etiam aliorum hominum inuidentiæ, odio atque obtrectationibus semet ipsos obijciunt. Hinc Græci occasionem sumpserunt, vt dixerint: Πλεονέκτης ἅπας ἄδικος. Nimia porrò profu-

Auaritia fugienda.

Auaritia radix malorum.

Prauum lucrum instar damni.

Diuites odijs obnoxij.

Prodigalitas fugienda.

ſione cùm parta dilapidant & abſumunt, difficile paupertatis malum ſibi vltrò adducunt, quæ eos deinde docet, ὅτι δειλὴ ἐνὶ πυθμένι φειδώ: & alijs hominibus occaſionem dant, vt ſuſpicentur mala conſcientia quæſita eſſe, malóque titulo poſſideri bona, quæ turpi luxu aut inani oſtentatione abſumi vident. At nimia tenacitas, quæ opibus partis cum ratione & diſcretionis occaſione liberaliter vti non ſinit, primò medicum, qui ſordidè viuit, etiamſi amplas diuitias poſſideat, oſtendit mente imbecilla & impotenti eſſe, quæ non tam diuitijs imperat, quàm turpiter ijſdẽ ſeruit: deinde alijs ſe ipſam inuiſam reddit atque facit, vt medicus verum decus bonámque exiſtimationem amittat, quę ex legitima diuitiarum poſſeſſione pleriſque contingit. De quo illud Heſiodi veriſſimè vſurpari poſſe exiſtimamus: χρήματα ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι. Legitimum enim ac liberalem diuitiarum vſum, qui auream mediocritatem nunquam excedit, virtus & gloria comitatur: ſicuti ſordidam tenacitatem excipit odium, inuidentia & contemptus. Vt plurimùm enim fit, vt homines vilioris fortunę odio proſequantur ac criminentur viuos æquè ac mortuos diuites, qui liberali mediocritate vti nequeunt in poſſeſſione & vſu diuitiarum, ſed auro incubant & ſordida turpíque tenacitate oſtendunt ſe diuitiarum miſera mancipia viléſque ſeruos eſſe. Quamobrem medicis omnibus tutiſſimum

Sordida tenacitas arguit animũ abiectum et ſeruilem.

Frugalitas medicis eſt Vſui.

mum erit non tanto ſtudio operam dare, vt diteſcant, quanto conatu incumbendum eſt, vt ſint & habeantur boni viri ab omnibus, quibus vnquam innoteſcent. Sicuti enim DEVS omnibus vitæ temporibus ſubſidia pijs boniſq; neceſſaria abunde largitur, dum modò vocationis ſuæ munere fideliter & diligenter funguntur: Ita diuitiarum honorúmque augmenta citra multum negotium, citráque animi curas tempore opportuno adijcit ijs, qui in ſtatione ſua perſeuerant & neceſſaria quæque ab ipſo petere atque expectare præſentibus animis audent. Decimumquintum præceptum eſt, vt ingreſſurus ægrorum hominum contubernia neque properet, neque impetuoſo inceſſu importunus, neque clamore aut riſu, quod inſanorum leuiúmque hominum eſt, neque ſuperbis greſſibus difficilis ac moleſtus ſit. Modeſtè autem, quemadmodum virum prudentem decet, ingrediatur & ſereno vultu appareat, vt ægro homini gratus eſſe poſſit. Non ſubitò ægrum interrogando aut contrectando adoriatur, ſed placidè alloquatur: Inquirat de præteritis, vt cauſas externas & antecedentes exactè cognoſcat ac faciliùs in internarum cauſarum, quæ ſunt materiæ, in quibus eſſentiæ morborum conſiſtunt, exactam noticiam deueniat: Præſentia inſpiciat & rationis iudicio examinet, vt tum morbum intelligat, tum naturam ac qualitatem eius deprehendat: denique cau-

Diuitiæ & honores à DEO.

Qualis ingreſſus medici debeat eſſe ad ægros.

Quæ interroganda & dicenda medico apud ægros.

ſas morbi internas, citra quarum cognitionem nihil efficere poterit, ſed aërem feriet & in incertum omnia pręſidiorum actionúmque ſuarum tela diriget, eruat & futura in morbo cognoſcat. Ita enim de ſymptomatibus præteritis & ſequentibus, vt & de morborum temporibus, certus fiet. Futura autem, qualia ſunt morbi exacerbatio vel remiſſio, ſymptomatũ concurſus, morbi duratio & euentus, acuta diligentíque mente cogitet: neque temere, ſed cautè de ijs pronunciet, ne aut turpis diuinator aut leuis mendax deprehendatur. Multa enim præter ſpem & omnem expectationem æquè, ac experientiam circa ægros contingunt, quæ prænunciandi certitudinem multis modis eludunt. Decimoſextò conſiderabit tum naturale ęgri corporis temperamentum, vt ſecuriùs iudicãdo ſtatuere poſſit, in quo gradu receſſerit morb⁹ à naturali corporis malè affecti temperamento: tum etiam locum affectum indagando cognoſcet, vt eius naturam, temperiem, ſenſum, figuram, poſitum, facultatem & actionem exploret, atque de debita medicamentorum ſubſtantia, qualitate, quantitate, forma & tempore exhibitionis commonefiat. Decimoſeptimò vires tum totius corporis, tum affectæ particulę diligenter cum morbi ſymptomatúmque vehementia & cauſæ coniunctæ multitudine atque malignitate conferat, vt futurum morbi exitum & medicamentorum effectum

Cautè prædicendum.

Quid medicus conſiderare debeat in ægro corpore.

Virium robur conſiderandum.

fectũ profpicere atque diuinare propemodum poſſit. Quod eum in agendo ſecurum reddet & à calumnia redimet, quando morbi vis & cauſæ internæ violentia vires in ægro corpore proſternere aduertentur: vel eędem ad exitum vſque morbi duraturæ ſint. Sicuti enim audacter tutóque agere iubetur medicus, quando vires ægri corporis validæ ſunt, adeò vt durare poſſint tam diu, quàm diu coctio materiei peccantis fieri cogitur: Ita illis adeò languidis & euictis, vt periculum ſit, ne antè concidãt, quàm coctio atque eductio peccantium materierum perficiatur, planè nihil ſibi tentandum cenſebit. Nihil enim proficiet, etiamſi præſentiſſimæ efficaciæ remedia adhibebit: ſed potiùs in animis imperitorum hominum videbitur ſuis medicamentis virium robur, quod ægro corpori reliquum fuerat, nimis audacter & intempeſtiuè oppugnaſſe vitámque ægro homini eripuiſſe. Decimooctauò medicus ægro homini commodum habitandi locum eligat, in quo aër ſit natura aut arte ita præparatus, vt morbo & cauſæ morbificæ reſiſtat: atque temperamento naturali ægri hominis, quantum fieri poteſt, conſentiat, vel non nihil in contrarium declinet tum, quando morbus temperamento naturali in qualitatibus ſuperantibus conſentit Decimononò cibum & potum ægris hominibus præſcribat talem, qui morbum oppugnet, cauſę morbificę generationem am-

Gal. lib. 9. Meth.

Quid viriũ robur moneat.

Viribus collapſis medicus agens periclitatur de fide & felicitate.

Quæ diſponẽda ordine in cura.

Aër.

Cibus & potus.

pliorem prohibeat, id verò, quod generatum in corpore causa materialis affectuum existit, consumat & subducat: ægri hominis naturali temperamento ac viribus conueniat: medicamentorum denique operationes iuuet ac promoueat. Somni & vigiliarum certum tempus, veluti quieti atque exercitio legitimam rationem & conuenientem horam definiat: Inanitionem ac repletionem necessariam atque circumstantijs indicando vrgentibus maximè congruam adhibeat. Et denique animi affectus ita moderetur, vt ægri hominis sanitas ijsdem iuuetur, causa morbi minuatur, morbus arceatur, & medicus, iuuante Dei fauore, qui æquè ad curationes morborum, atq; ad omnia negotia, ab hominibus rectè perficienda plurimum adiumenti & emolumenti adfert, sibi ipsi laudem adquirat. Vigesimum præceptum est, vt habeat non modò suarum operationum certas intentiones, quarum ductu singula ordine certóque tempore fieri oportet, quæ morbus, causa morbi, symptomata, ægri hominis naturale temperamentum, vires, ætas, sexus, vitæ genus, consuetudo vitæ præcedens, locus affectus, anni tempus & aëris constitutio agere iubebunt: sed etiam saluberrimis ac probatæ efficaciæ medicinis atque præsidijs accommodatis vt instructus sit, seplasias locupletiores frequenter ingrediatur & simplicia atque composita sæpe inspiciat: interdum etiam Antidotorum

Somnus & vigilia.
Exercitium & quies.
Inanitio & repletio.
Animi affectus.
Medicus ordine certo procedat.
Vtendū præsidijs efficacibus.

torum compositionibus adsit, vt videat, qua diligentia ac fidelitate à pharmacopœis eædem præparentur. Parum enim prudenter solent agere medici, qui domi desident & rescripta in myropolia mittunt, vt ibidem medicamenta componantur. Nam magna negligentia est ministrorum, maior hominum auarorum improbitas, qui tenacitate ac auaritia corrupti sæpissimè obsoletis, & marcore, nidore putredinéve corruptis pharmacis vti potiùs audent, quàm vt probatas ac recentes medicinas leui ære comparent: sæpe etiam in penuria eorum simplicium, quæ medicus præcipuæ destinat operationi, temeraria malitia permutant medicinas & colore similes substituunt, etiam si planè aliam agendi vim habeant. Tunc autem aut nihil, aut nimium, aut contrarium, quàm medicus conatur, assumpta pharmaca in ægro hominis corpore agunt & à medico fraudis perpetratæ ignaro hominis decumbentis vita in periculum ducitur. Præterea medicus, ignarus cõmissæ ab alio fraudis, incipit de artis suæ certitudine dubitare: ac celebrem famã, quam ex felicibus successibus habere cupit, omnino amittit. Si autem frequens in seplasijs fuerit, sua præsentia & inquisitione excitabit myropœorum diligentiam atque attentionem maiorem, quàm compositioni & præparationi pharmacorum aliàs adhibent, quando oculus medicorum vel etiam dominorum abest, pla-

Medici præsentia acuit diligentiam pharmacopœorum.

néque perficiet, vt medicamenta optima habeant & fideliter præparent, quibus postea medicus citra metum fraudis cum delectu in singulis morbi temporibus pro diuersa operandi intentione vti poterit. Supra vigesimum in ordine huius nostri libri præceptum addit Galenus libro de Prædictione ad Posthumum adhuc vnum, obseruatu admodū necessarium prudentibus medicis, præceptum, cùm ait medicos in curatione Principum neque medicamentis valde efficacibus, neque vllo modo suspectis vti debere. Multos enim obtrectatores operæ atque fortunæ medicorum habent. Etsi itaque extremis morbis extrema aliquando remedia adhiberi vult Hippocrates & principum aliorúmque hominum, qui aliquo eminentiæ gradu aut amicorum multitudine apud suos conspicui sunt, affectus periculosi remedia fortis operationis requirunt: tamen medicus prudens nunquam ad singularia atque noua, quę in frequentem vsum minimè venerunt, descendere debet, sed potiùs ea adhibere, quorum facultates & operationes longo vsu multáque experientia innotuerunt. Fieri enim sæpissimè solere docet Galenus, vt artifices, qui rectè tempestiuéq; medicamenta adhibere norunt, iisdem remedijs morbos curent, quibus alij eosdem exacerbarunt. Porrò requiritur etiam à medico, vt suo apud ægros homines, quorum curam suscipit, munere diligenter fideli-

Tutis medicinis vtendum apud Principes.

Diligentia medico necessaria.

deliterque fungatur: attenta mente videat & consideret, cui, quid, quantum, cur, quo loco, qua via, quando & quibus præsidijs agendum aut etiã quomodo intentiones operationum & medicamẽtorum facultates dirigendæ sint. Ita enim fiet, vt singula suo tempore conuenientique ratione perficiantur: & felix consiliorum actionúmque euentus, qui est expetita hominum ægrorum sanitas & medici solertis laus atque præmium, Deo cooperante, consequatur. ὅταν γὰρ σπεύδῃ τις, αὐτὸς χὠ θεὸς συνάπτεται. *DEVS sedulos iuuat.* Agat deinde cautè, prouidè, maturè, expeditè & rectè, non alia fide & solicitudine, atque si de sui corporis incolumitate ageretur. π' γὰρ μηδὲν εἰκῆ, πανταχοῦ δεῖ χρήσιμον, vt ait Menander. *Temere nihil agendũ.* Quod fiet facilimè, si sincero fuerit animo & omnium suarum actionum inspectorem adiutorémque Devm crediderit: præterea etiam charitatis Christianæ memor ægrum hominem suum fratrem, nobilissimam, secundum angelos sanctos, creaturam ad imaginem immortalis Dei conditam & regni cœlestis cohæredem cognouerit atque statuerit. Ita enim *Quid in agendo respiciendum.* animatus nihil cogitabit, nihil consulet, nihílque molietur, nisi quod gloriam & laudem immortalis Dei, crementum Ecclesiæ Christianæ, emolumentum societatis humanæ, recuperandam ægrorum hominum sanitatem atque suum proprium honorem commodúmque concessum spectare ac prouehere posse

ſtatuerit. Quam ob rem etiam præſidium ſanctorum angelorum in toto vitæ atque vocationis ſuæ curriculo ſibi adeſſe ſentiet: munere ſuo cum laude feliciter fungi & commendationem famámque celebrem felicibus ſucceſſibus mereri poterit: neque viuus egebit vlla re, quæ fragilis vitæ vſibus neceſſaria erit, neque mortuus calumnijs hominum damnationíve æternæ obnoxius erit. Hæc præcepta & inſtituta medico, qui primùm medicinam facere incipit, à nobis ex ſententia Hippocratis & aliorum medicorum conſcripta ſunt, vt homines eruditi ac præcipuè iuuenes, qui medicæ arti animum applicarunt, videant atque intel-

Medicis fidelibus & pijs crementum dat DEVS. Cauſa commentationis huius.

I. ligant primò, quòd medicos inter Chriſtianos oporteat eſſe, qui gratia ſanitatum à DEI ſpiritu accepta infirmitatibus hominum opitulari

II. & mederi poſſint: deinde, quòd medici functio difficilis, laborioſa & neutiquam ignaua

III. ſit, veluti imperitum vulgus æſtimat: tertiò, quòd illa profeſſio, cùm ſit pia, honeſta & humano generi adeò neceſſaria, ac Sol mundo & ignis atque aqua hominum vſibus, neutiquam contemni debeat, quod ſæpiſſimè à barbaris & imperitis Cyclopibus fit, qui importunis ſuggeſtionibus & calumnijs improbis iuuenũ animos ab honeſto & DEO hominibúſque prudentibus grato vitę genere deterrere atque

IIII. auertere conantur: quartò, quòd ex his inſtitutionibus mediocriter eruditi deprehendent,

quanto

quanto diſcriminis interuallo docti, diligentes, fideles & boni medici ſeparentur ab improbis impoſtoribus, ineptis nugatoribus, indoctis empiricis, ſcurrilibus circumforaneis, inſanis medicatricibus & alijs eius fæcis hominibus, qui publicis principum ac magiſtratuum edictis ab vrbibus bene conſtitutis arcendi & longè à conuerſatione hominum ablegādi ſunt ad immanes feras, ne impunita occidendi aut violandi homines licentia ampliùs vti in rebus publicis poſſint: quintò, quòd ex his cuiuis legenti luce meridiana clariùs pateat bonos, eruditos ac fideles medicos nō tantùm principum magiſtratúſque amore & plebeiorum hominū beneuolentia, ſed etiam ampliſſimo honore & iuſtiſſimis præmijs dignos iure optimo haberi: ſextò, vt medicinam facturi videāt, qui & quales eſſe debeant in ſua profeſſione, ſi bonorū medicorū nomine digni cenſeri cupiūt. DEVS, fons omnis ſapientiæ, cui ſit gloria in omne æuum, artium vtiliſſimarū ſemina cum florentiſſima politiarum Chriſtianarum tranquillitate nobis in poſterū clemēter ſeruet atq; augeat: neq; tantis bonis ob noſtram ingratitudinē, ſicuti nimiùm meremur, poſteros noſtros priuet, vt vera agnitio verúſq; cultus DEI cum bono ordine & laudabili virtutis honeſtatíſque omnis ſtudio in humana conuerſatione longè latéq; propagetur ac multi æternæ beatitudinis hæredes fiant. V. VI.

FINIS.

IOANNIS SPORISCHII AB OTTENBACHAW, MEDICINÆ DOCTORIS LIBER DE *Symptomatibus crudelissimis & rarò animaduersis, quæ scarificationi & cucurbitularum vsui Brunæ incolis in Marchionatu Morauiæ superuenerunt.*

ANNO DOMINI M. D. LXXVII. Brunæ, quę celebris est in Marchionatu Morauiæ vrbs, noua & frequẽtia in nonnullorum hominum corporibus apparuerunt symptomata, quæ solutioni continuitatis, per intempestiuam, inconuenientem & immodicam partium carnosarum scarificationem factæ, superuenerunt.

Descriptio symptomatum.

In quibusdam enim particulis, scalpro sauciatis, caro cucurbitulæ ambitu conclusa inflammari & exulcerari visa est: ichores pituitosi in magna copia flůxerunt per exulcerata membra: totum corpus aut tantùm membrum scarificatum interim liuore fœdo, interim scabie turpi horribiliter contaminatum fuit: aliquibus denique horrendi cruciatus in iuncturis articulorum & neruosis partibus excitati multum tempus durarunt & certis periodis ægrorum hominum corpora afflixerunt.

Sententia vulgi de his symptomatibus.

Ea cùm rara & antehac minimè visa essent, cõmouerunt plurimos hominũ, vt putarent nouum morbi-

Vene-

Venerei genus, contagione propagatum, populum illius vrbis inuasisse. Sicuti autem liberrimè fateor me planè dissentire ab opinione, quæ de his symptomatibus sparsa habetur: Ita certis rationibus palàm faciam symptomata illa neque contagione in aëreo balneo propagata esse: neque luis Venereæ speciem dici posse: neque scalpellum, quo cutis scarificata fuit, toxico infectum, impurum aut tale fuisse, quo bubones pestilentiales antè aperiri consueuissent. Demonstrare verò & palàm facere enitar horrenda hæc solutionis continuitatis symptomata originem, occasionem siue causam efficientem atque irritantem habuisse intempestiuam, nimiam, miniméque congruam scarificationem: materialémque siue internam eorũ causam in humorum pituitosorum substantia, quantitate & qualitate in ægris hominum corporibus abundanti constitisse. Etiamsi enim nobis Christianis dubium nullum est varios morbos ob plurima & grandia hominum peccata aliquãdo iusto DEI ter maximi iudicio excitari in populo: tamen ijdẽ causas suas naturales vt plurimùm habere aduertuntur. Nam infinita summi DEI potestas raro citra causarum secundarum interuentũ agere in mundo consueuit: sed ordinem à sua sapientia imperuestigabili institutum firmiter obseruat, neque vnquam transgreditur, nisi summa hoc ipsum gloriæ diuinæ necessitas requirat. Hæ autem in

Propositio libri.

Morbos diuino iudicio excitari.

DEVS ordinem à se constitutum in natura obseruat.

Causæ morborum externæ & internæ.

ſex rerum nõ naturalium vario vſu conſiſtunt & cauſarum externarum nomine comprehenduntur: aut intra corpus humanum coaceruatæ latent, donec ab externis cauſis irritentur, & cauſarum internarũ appellationem ſuſcipiunt.

Ablata cauſa tolli affectum.

Quibus ablatis per media, diuinitus in eos vſus producta & ſedulis rerum naturalium indagatoribus oſtenſa, mala eiuſmodi longiùs graſſari prohibentur: & homines ab ijs liberantur,

Pœnitentia & inuocatio DEI promouent actum medicinæ.

præſertim tum, quando ad vitæ prioris emendationem accedunt piæ preces, quibus iram DEI iuſtiſſimam mitigare ſtudemus. Remedia enim præſtantiſſima tum demum vſibus humanis ſalutaria ſunt, quando illis benigna miſericordis DEI gratia accedit & tempore legitimo eadem dextrè vſurpantur. Nolo autem quenquam eruditorum medicorum æſtimare me temerario contradicendi conatu reclamare ſententiæ, quæ noua de huiuſmodi ſymptomatum genere pronunciata eſt: aut maleuolentia odióve inflammatũ ab opinione incerta recedere, quę de his ſymptomatibus extat. Publici enim cõmodi cauſa, cui me & ſtudia mea à multis annis conſecro & offero, de hoc ſymptomatũ genere quid ſentiam, ingenuè oſtendere laboro eam ob rem, quòd in præfatione & epilogo libelli, qui primus de his ſymptomatibus in publicum venit, commonitio extat ad bonos & rei medicæ peritos viros grauiſſima, vt liberè in medium conſulant de his malis: &

rationes non modò inuestigent, sed etiam libenter ostendant, quibus præsidijs eiusmodi humanorum corporum hostibus occurratur.

Ξυνὴ γὰρ χρειὼ, ξυνοὶ δέ τε μῦθοι ἔασιν.

Hoc vt commodiùs rectiúsque à me fiat, *Ordo libri.* primùm de rerum non naturalium vsu, qui incolis eius vrbis frequens est, dicam: Secundum erit, vt agam de occasione & causis externis, quæ excitarunt turpissimam fluxionem, liuorem, dolorem, & tum crudelissimos cruciatus, tum putredinem loci scarificati & exulcerationem cutis, quæ in ægrorum hominum corporibus à loci affecti intempestiua ineptaque curatione remanere deprehensa sunt. Inde, vt arbitror, facilimè cuiuis legenti patebit hos affectus humanorum corporum neutiquam nouam morbi Venerei speciem dici posse, cùm sint tantùm symptomata, quæ ad solutionem continuitatis & effrenem humorum pituitosorum motionem accesserunt: Neque virus quoddã in aëreo balneo ab hominibus ea lue infectis sparsum, à sanis hominibus & tanti mali securis inspiratione haustum fuisse, cùm vnanimi medicorum doctissimorum consensu affirmetur neminem vnquam lue Venerea labefactatum ex inquinati aëris inspiratione: Neq; malum contagione propagatum esse in corpora humana, quod vi cucurbitularum ad loca scarificata tractum inflammationem, exulcerationem, dolorificam neruorum laceratio- *Fer. lib. 2. de Abd. rerum caus. cap. 14.*

nem, cutis liuorem & turpem ſcabiem excitauit: Neq; etiam ſcalprum venenoſa aliqua materia corruptum imbuiſſe loca ſcarificata virulentia lethali; ſicuti infici ſolent venabula à venatoribus Hiſpanis, quando ceruos leuiter ſauciare conantur, vt potiùs à virulento & noxio ſucco perempti concidant, quàm profundiore vulnere, nimirum vt pelles integriores maneant, quæ plerumq; venatoribus cedunt, vt inde lucrum faciant, quod admodum exiguum illis accidit, quādo latioribus aut pluribus ictibus tranſuerberatæ ſunt. Sunt autem pleriq; medicorum in hac opinione, vt hoc obiter inſeram, ex ſucco veratri albi aut napelli pharmacum virulentū primo vere à venatoribus præparari & cornu taurino in eos vſus ſeruari: Nuſquam tamen apud probatos autores me legere memini, quòd elleboro albo aut napello (niſi perperā cum aliquibus opinari velimus, quòd napellus ſit toxicon Dioſcoridis) tam ſæua nocendi vis inſit, qualem Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem helenij ſucco: & Plinius herbæ ſucco, quam à Gallis Limeūm appellari dicit, aſſignat. Oſtendendum itaque hoc loco erit ſymptomata illa habuiſſe naturales cauſas, quæ de numero externarum & internarū cauſarum ſunt tantáque mala in humanis corporibus excitare poſſunt, quando internę cauſæ ita diſpoſitæ ſunt, vt externarum cauſarum, quæ irritantes dicuntur, actum recipere poſſint.

Lib. 6. cap. 20.

Lib. 27. cap. 11.

Hæc

Hæc vbi peregero, tertio loco, diuina iuuantè clementia, certam rationem curandi eiusmodi affectus inuenire & indicare studebo.

Principio itaque Brunam edito regionis huius loco sitam, pręter ventos ab occasu Solis spirantes, omnibus cæterorum ventorum insultibus liberũ aditum præbere videmus. Zephyrus enim, Aphricus, Corus & collaterales sublimi monte, qui vrbi ad occasum Solis est & arcem eminentem habet, difficulter seriúsque admittũtur, vt aërem, terram & aquas suis qualitatibus in primo vere demulceant. Hinc fit, vt asperã hyemem frigidiúsque veris principium terra illa ferè quotannis habeat. Quanquam autem solum vrbi propinquum, quod culturam experitur, vini & frumenti ferax est: tamẽ incolæ Cererem coctam siti restinguendæ frequentiùs adhibent. Hac enim admodũ tenui, aquosa ac frigida qualitate euidẽter prædita, propter exiguam copiam lupuli & tritici, quam cocturæ parciùs adhibent, quàm in alijs Germaniæ locis fieri consueuit, vtuntur tum lautioris fortunæ homines, quando largiore vini potu illorum corpora incaluerunt, ob pridianam crapulam fumant, & siti immodica affliguntur: tum vilioris status plebecula eo potu contenta viuere cogitur, cùm non semper habeat, vt vinum suis mensis emat. Solum vbertate multa fertile colitur ab agricolis, vinitoribus & olitoribus. E quibus illi necessarium

Situs vrbis Brunensis.

Zephyri vsus.

Brunensis cœli tempéries.

Brunensis soli fertilitas.

Potus incolarum.

Solum quid ferat cultũ.

vitæ humanæ frumentum, vuas, persica mala, poma, pyra, pruna cerea, Damascena & minora, quæ domestica sunt & dulcedine sua mirè palatum afficiunt, quando ijs crudis, in vmbra siccatis coctísve vescimur, cerasa, cytonia & alia vsibus humanis in agris & intra vineta crescentia colligunt: hi cepas, allia, porrum, pepones, pastinacas domesticas, cucumeres, rapa, petroselinum, lactucas coronariásque herbas magno studio colunt, vt inde victitent & quæstum faciant. Brassicam etiam capitatam frequentiùs, quàm alibi, in cultis locis circa hanc vrbem prouenire certum est, qua non tantùm cocta per autumni hyemísque tempus incolæ vesci solent, sed quoq; illam sale, cumino, aceto muriáve ita condiunt, vt totum annum in vasis amplis recondi & in cellis subterraneis adseruari possit. Faciunt autem olitores illud, tum vt suis mensis brassica illa seruiat, tum vt in vicina loca illam per totum anni tempus exportantes aliquid lucri venentur. Ea enim persuasio multos homines, in finibus Austriæ habitãtes, inuasit ac tenet, nullibi meliorem brassicam, quæ capitata est & hoc peculiari dono

Brassica vtilitas.

pollet, vt biliosos ventriculos roboret, neruorum resolutioni & tremori nõ exiguum commodum præstet, virtutibus vini resistat, ebrietatem siue temulentiam diutissimè arceat & noxam inhibeat, quæ ex largiore vini potu aliàs humanis corporibus accideret, inueniri:

neque

neque vsquam ita præparari, vt gustui grata sit. Quam ob rem olitores etiam multum operæ & laboris culturæ illius impendunt: ac per totum annum Znoymam, Rhezium, atq; in alia loca exportant. Hinc fit, vt Brunense solum neque multa armenta, neque greges ouium alat: sed aliunde expectare cogatur omnia, quæ ex eiusmodi pecudibus in vsum vitæ humanæ sumuntur. Nihil tamen æquè ad voluptuariã gulæ insatiabilis voracitatem ac necessarium vitæ fragilis vsum deest earum rerum, quæ in delicijs & victu quotidiano haberi consueuerunt. Hungaria enim pinguedine & carne succulenta crassos boues Morauiæ in abundanti copia mittit. Ipsa verò regio intra suos fines omnis generis pecudes vberrimè suis pascuis alit. Quam ob rem plebs suis contenta fortunis nõ admodum affligitur cupiditate quærendi & colligendi diuitias, sicuti faciunt hi, qui auaritiæ pernicioso mortalibus affectu effascinati & excæcati sunt adeò, vt nihil illis dulce gratúmque accidat, quod nõ fœnus & lucrum spirat. In diem enim viuit maxima incolarum pars, &, quidquid hæreditate, nundinatione laboribúsque adquirit, aut vinearum cultui aut luxui impendit. Etsi verò liberaliter propter victualium vberem copiam viuit: tamen ferè nullum conuiuium illi celebratur, quod non solenni vrbis more brassicam capitatam, in numero ferculorum coctam, recipiat. Æstate qui-

Cibi copia incolis.

Incolas vili contentos viuere.

dem & autumno dulcem: hyeme autem & vere sale, cumino, aceto muriave maceratam coquunt ac mensis apponunt. In secundis etiam mensis pyra, poma, pruna, persica, vuæ & aliæ eius generis deliciæ crebriùs locum habent apud ciues illius vrbis, quàm alibi in vniuersa Morauia fieri consueuit. Taceo iam de inferioris sortis hominibus, quorum prandia & cœnæ brassicam capitatam olent. Pleriq; insuper incolarũ, fœminæ tamen maximè æstatis tempore deliciantur esu endiuiæ domesticæ, cuius folia lata & teneros caules Cereri acetosæ immergunt & cum nimia auiditate vorant: Imò plerasque eius regionis fœminas inuenias, quę inexplebilem auiditatem edendi frigidas & crudas illas materias, in quarum numero etiam sunt pepones & cucumeres parui, reprimere nequeunt, dum ventriculum abundanter repleuerint. πιὼς ὁ βίος πυρετὸν καὶ φλέγμ' ἔχει. Etiamsi enim æstatis tempore talium alimentorum moderatus vsus non improbetur prudentibus viris eam ob rem, quòd prohibeant generationem bilis flauæ & humorum nimiam adustionem: alterando etiam infringant feruorem bilis, ne quidpiam incommodi corporibus gignere possit: tamen nimius eorum eduliorum vsus maximè nocet in eo, quòd auget in corporibus humores eos, qui à temperamento anni sunt alienissimi & morbos periculosos difficilisq; curationis inducere frequenter consueue-

ſueuerũt,qui ſi diæta ſimili foueantur,planè incurabiles atque lethales fiunt. Conuiuia verò nuptialia & cætera diurno tempore inſtituuntur crebriùs ac protrahuntur in profundam noctem, præſertim autumni & hyemis tempore,vt illud tempus,cui requiem ſuadenti,propter animalium virium recreationem,parere decorum erat, tribuatur comeſſationibus ac compotationibus,cùm ſit: *Mores vulgi.*

καλὸν τὸ νήφειν ἢ τὸ πολλὰ κραιπαλᾷν.
πολὺς γὰρ ἄκρατος ὀλίγ᾽ ἀναγκάζει φρονεῖν.

Contrà verò matutinæ dierum horæ, quæ, negotijs & laboribus diuinitus præfinitæ, rebus agendis commodiſſimæ ſunt, ſomno dantur. Qua in parte bruta animantia eiuſmodi hominibus longè præcellere & prudentia anteire cenſentur,quæ cum Sole occidente cubitum ſe recipiunt,& eodem oriente,cubitu ſurgunt. Temporum enim & ordinis diuinitus inſtituti atque curſu Solis definiti rationem tenaciùs obſeruant & rectiùs tenẽt, quàm plerique hominum, qui mente intelligenti rationéque à DEO rerum conditore donati ſunt, vt cæteris creaturis hoc dono præſtent, Creatorem mundi agnoſcant, pia gratiarum actione donis DEI fruantur & corporum animorúmq; ſuorum ſanitatem recto viuendi modo diutiſſimè tueantur. Conuiuijs ad hunc modum dediti intempeſtiuis vigilijs coctiones alimenti & humorum in naturalibus iuſtrumentis & ſi-

milaribus particulis non modò impediunt, sed etiam plus quàm leuibus & scurrilibus saltationibus exercitijsque, quibus voluptatis irritandæ causa homines vtuntur, dum genio indulgent suo, crudum alimentum ad epar & similares particulas per venarum mesaraicarum ductus è ventriculo procedere cogunt, vnde cruditates in illorum corporibus coaceruantur, quę morbis fœcundum fomitem præbent, vt verissimum esse cognoscatur id, quod dicunt Philosophi, nimirum voluptatum pedisequas esse morbos, mœrorē, dolorem & pauperiem. Præter hæc nullis laboribus, neque tempestiuis exercitijs hoc hominum genus indulget, si recesseris à vinearum cultoribus, qui agrestes sunt & dura corpora habent: nihilo tamen minùs illa morbis obnoxia reddunt inordinata vita, dum festiuis diebus comessationibus & poculis adeò frequenter indulgent, vt priùs id absumant, quod merces laboris esse debet, quā laborem perficiunt. Hac viuendi ratione corpora pituitosis humoribus & excrementitijs superfluitatibus repleri tam manifestum est, vt mente rationéque destitutus iure optimo censeri possit, qui contradicere velit. Eiusmodi autem humores vltra modum humanæ naturæ competentem coaceruati intra corpora fragilia multis ægritudinibus fœcundam materiam præbent. Vrbis itaque eius incolæ non facilè biliosis morbis tentantur: sed pituitosis & frigidis

Qui morbi populariter grassentur Brunæ.

gidis malis sæpissimè infestantur, vt sunt colica, paralysis, apoplexia, arthritis, podagra, & alia, quæ à fluxione pituitosorum humorum originem habent atq; voluptuariam inordinatámque vitam non aliter, atque pedissequæ dominas suas, sequuntur. Accedit illud, quòd optimorum medicorum consilia ibi negliguntur. Neque enim annuis vtuntur purgationibus, neque eruditos & rei medicę peritos viros de ratione viuendi consulunt. Sed plerique suę libidini obtemperantes agunt, quod volunt, & patiuntur, quod possunt. Plurimi etiam eò dementiæ procedunt, vt hodie egregiè potantes & ad satietatem vsque sese infarcientes cibis sine delectu & discrimine, constituant de venæ sectione & sanguinis subtractione postero die instituenda: qua peracta, aliquot dies epulantur, potant, ludunt & inebriantur, nihil soliciti de morbis, qui tanquam pœnæ eiusmodi vitam sequuntur, vt verissimum sit illud Alexidis:

—ἁ πάντων δὲ τὸ μεθύειν κακὸν
μέγιστον ἀνθρώποισι καὶ βλαβερώτατον.

Qui à crebra sanguinis euacuatione per venarum incisionem abhorrent, cucurbitulis cum scarificatu appositis bis aut semel singulis mensibus vtuntur. Ingrediuntur verò eius rei gratia balneum bene poti ac cibis repleti. Atque pro largiore sanguinis sudorísque euacuatione promouenda, in aëreo balneo sedentes,

vel labris aqua calida plenis innatantes, immodico intempestiuóque vini vsu egregiè se suæq; naturæ vires obruunt, vt aliquando domum redire nequeant, nisi manu ministrorum ducantur. Luxu & inueterata viuendi consuetudine si suis corporibus morbos accersiuerunt, ad Anabaptistarum agrestium speluncas curritur: & consulitur de morbi curatione imperitus barbarúsque homo, qui fortassis ad hoc hominum genus rude & inciuile aliunde confugit & balneatorum chirurgorúmque munere ibidem fungitur. Hæc de incolarum illius vrbis vulgari diæta præmonuisse sufficit, cùm non omnes ciues hanc viuendi rationem amplectantur. Plurimi enim optimorũ ciuium hanc detestantur, &, vt homines pios prudentésque decet, temperanter, sobriè modestéq; viuunt: quæ ratio est, quòd eiusmodi malis & alijs morbis raro aut nunquã obnoxij sint, sed matura ætate ex vitæ fugacis statione decedant nõ aliter, atq; poma matura ab arboribus sua sponte cadunt gemmísque renascentibus locum dant. Diligenter autem hæc recensui, non vt viderer conuiciari incolarum mores, quod vitium ab homine ingenuo & candido alienissimum esse debet: sed vt homines, qui inordinatè viuere in more habent, his commoniti saperent & meliorẽ viuendi rationem instituerent. Iam occasionem & causas externas crudelissimorum symptomatũ relaturus longior ero,

Se monere, nõ criminari.

De causis externis malorum.

ero,quòd quædam meæ ſententiæ aduerſantia diluentur antè, quàm curam iſtis malis conuenientem oſtendam. Brumæ itaque tempore, quando ob aëris externã qualitatẽ in omnibus hominum corporibus ſecundum naturam humores pituitoſi abundant, ob multitudinem aſſumptorum alimentorum,quæ non tam copia,quàm ſubſtantia & qualitate ſua plurimum pituitæ generant, & in quotidiano vſu incolarum illius vrbis eſſe dixi, neceſſariò in tali vitæ ratione coaceruari crudorum & pituitoſorum humorum copia ſolet,quæ ſubſtantia,qualitate & quantitate interim totum corpus adgrauat, interim locum affectum, in quo toto hyemis tempore, niſi irritetur,ſedem ſuam figit, moleſtia afficit & in primo vere fluxionibus frigidis ſalſisque occaſionem præbet,niſi tempeſtiuè concoquatur & euacuetur. Nam cutis corporis ab ambientis aëris frigidis qualitatibus hyemis tempore conſtringitur, pori clauduntur,perſpiratio prohibetur,euentatio fuliginoſorum vaporum liberior,qualis eſt æſtate, impeditur: caloris naturalis vis intra corpus collecta continetur atque coarctatur. Ventres eam ob rem,vt ait Hip. lib. 1. Aph. part. 15. calidiores multũ cibi appetunt,vt externis membris largiùs calidum nutrimentum apponatur & ingenitus calor in illis commodiùs foueatur. Infarciuntur verò membra naturalibus & animalibus facultatibus deſtinata, ne poſ-

Hyeme cibi maior appetentia.

Superfluitates hyeme in corporibus hominum augeri.

ſint copiam alimenti abſumere & excrementa, ſicuti æſtate fit, tempeſtiuè depellere. Hæc morborum ac fluxionum materia in corpore humano copioſè collecta ſolet balneis crebrioribus, in quibus multam moram homines trahunt, meracioris vini potu: aquis mineralibus, inflammatione, dolore, ſolutione cõtinui, cucurbitularum tractione, frictione, compreſſione & alijs cauſis, quæ innumeræ penè ſunt, ad motum impelli, vt liquata à parte, quam occupârunt, commodè promptéque ad membra inſtrumentalia ac ſimilaria totius corporis fluat: eam tamen præcipuè particulam cum impetu inuadit, quę ob imbecillitatẽ apta eſt fluxionem ſuperfluitatum ad ſe recipere: aut à natura excrementis deſtinata eſt: aut denique affectu præternaturali humorum excrementorúmq; ſuperfluitatem ad ſe violenter allicit. Dum autem cucurbitulis cum crebro & profundo ſcarificatu appoſitis bonus ac tenuis ſanguis vi flammæ, quæ cucurbitulæ includitur, ſimilaribus particulis, quæ ſcarificatæ ſunt, adimitur: neceſſum eſt alium ijſdem ab epate tranſmitti. Rapiunt enim vicinæ à vicinis particulis, cùm ſanæ exiſtunt & alimento deſtituuntur, donec proxima epati membra è fonte humorum etiam id quod incoctum & inelaboratum eſt, auferant. Pituitoſi, crudi & inelaborati humores facilè ſuis qualitatibus ſimiliaria totius corporis membra aut affectas particulas, ad quas

Occaſiones fluxionum.

Quomodo crudi humores in ſimilaribus membris coacerventur.

quas tracti posteà cum impetu feruntur, imbuunt: ab imo corpore ad circumferentiam ducti cutem scabie liuoréque inficiunt, sanguinem corrumpunt & impurum reddunt: iúncturas inuadunt atque dolores articulorum certis periodis recurrentes excitant: neruorum principia obstruũt: vel illis infarcti spasmũ conuulsionésq; inducunt: vel in membris instrumẽtalib⁹ ac similaribus, vbi figuntur, obstructiones, abscessus, inflamationes, exulcerationes, dolores & alia mala faciunt. Etiamsi enim nullá venenosam qualitaté extrinsecus aduenientem habeant: tamẽ tantam qualitatum malignitatem sæpenumero ex prauo victu obtinent, vt suprà dictis malis longè grauiora in corporibus ægris excitare atque producere conspiciantur. *Soboles cruditatum.*

Corporibus malè dispositis & κακοχύμοις adhibita fuit scarificatio illo anni tempore profundior & crebrior, quàm recta ratio fieri iubet. Iterata est enim vna diei hora semel aut bis cum scalpro latiore, quale hyemis temporibus in vsu est, vt in maiore quãtitate cucurbitulæ, cum aëre calido siue flammeo appositæ membris scarificatis, sanguineum humorem, quem frigidiorem & crassiorem anni tempus & præcedens diæta fecerat, ex similaribus particulis attraherent & intra se colligerent. Nisi enim copiosè sanguis ad affectos scarificatu locos fluat & per cucurbitulas affatim extrahatur: imperiti homines, quos puer Æsopicus non aliter, at- *Scarificatio inconueniens quid fecerit.* *Prodigos vita sanguine priuari velle.*

que cochleas in ſuo interitu, dum coquuntur, ſtridorem emittentes, ridere poterit; arbitrantur ſanguinis euacuationem non ſuccedere, & vel in miniſtrorum balnei oſcitantiam, vel in nimiam feſtinationem, vel in Lunam cauſam conferunt. Praui itaque, crudi & indigeſti humores tum aëre balnei calidiore & aquæ tepidæ affuſione ab internis membris, in quibus latebant, ad externas & cuti ſubſtratas particulas prouocati, tum vi flammæ, quæ in cucurbitula appoſita concluditur, non modò attracti, ſed etiam ad fluxionem copioſiore vini potu, aquæ tepidæ crebra affuſione, ſcarificatione & cucurbitulæ attractu irritati ſeſe neceſſariò particulis ſcarificatis ingeſſerunt. Sicuti enim cucurbitulæ cum flamma abſque ſcarificatu appoſitæ incantamenti inſtar humores aliunde ad partem, cui cucurbita affixa inhæret, trahere aduertuntur: ita ex profundiore ſcarificatu & flamma ardentiore cucurbitulæ dolor calórq; ſenſibilis in membro ſcarificato excitatur, qui fortiùs humores primò quidem proximos, calidos, elaboratos & ſubtiles: deinde etiam frigidos ſiue crudos & ſemicoctos aliũde, etiamſi in profundo corpore ſint, ad membrum ſcarificatum & cuti ſubſtratum trahendo allicere poteſt, præſertim quando tot cauſis humores tenuantur, colliquantur & funduntur. Quod probatione ampliori non eget, cùm res ipſa meam hanc ſententiã facilè confirmet, & luxationi-

Cucurbitulas vt flammæ trahere humores ad membra ſcarificata.

tionibus, doloribus inflammationibúsq; partium nullo vulnere læsarum frequentissimè attractio affluxióq; humorum accidat. Quando enim corpora impura superfluitatibus abundant, & humores ad fluxionem præparantur atque irritantur: faciliùs humorum motio & fluxio ad membra luxatione, dolore, caloréve nimio, sicuti solutione continui, pressura, frictione aut forti ligatura vexata promouetur, etiamsi nulla scarificatio, nullúsque cucurbitulæ siccæ vsus accedat. Solutio itaque continui, quæ scalpro latiore longioréque in membris similaribus & carnosis intempestiuè & incõuenienter facta est, extitit cùm doloris, tum inflãmationis causa efficiens, quæ morbi principalis nomine mihi in hoc negotio censetur. Dedit enim occasionem & causam affluxioni pituitosorum humorum. Et licet hi fluxionum materia iam erant: tamẽ latendo quiescebant in internis corporis humani membris, in quibus hyemis tempore potissimùm colligi & figi secundum naturam aut etiam præter naturam solent: neq; antè effrenes de parte ad partem motu suo ferebantur, quàm à solutione continuitatis & inflammatione doloréq; eius membri, quod scarificatum fuit, ad motum irritarentur atque attraherentur. Cùm autem magna illorum humorum copia fuerit intra ægrorum hominum corpora collecta ratione inordinati victus, temporis anni, & cœli consti

Solutio continuus primarius morbus in his malis.

tutionis,quam toto veris atque æstatis sequentis tempore intemperatam & irregularem fortasse fecit vis & efficacia Cometæ, qui vicinum Saturni in propria domo constituti sydus dominum habuit, & Lunam, ob viciniratem, adiutricem suam ostendit: facilimè fieri potuit, vt tot & tam validæ causæ in agendo conspirantes solutioni continuitatis, quæ leuis & minimè sufficiens non nullis videretur, si non cum dolore & inflammatione coniuncta fuisset, tot & tam horrenda adderent accidentia, quæ inconuenientibus curationibus aucta atq; exacerbata videntur. Hæc enim solutio continuitatis, quæ primarij morbi rationem habet, etiamsi leuis iudicetur & aliquando ab imperitis balneatoribus pinguedine non admodum pura inungatur, vt citiùs consolidari & sanari possit, quando cucurbitulæ appositæ membra scarificata non exiccant, sed aquosos & pituitæ tenui non absimiles humores attrahunt, vt tum fit, quando natura siue anima de domicilij sui conseruatione & facultatum incolumitate solicita nō ampliùs sanguineam massam ad membra scarificata fluere sinit: tamen particulę profundiùs crebriúsque scatificatę vel aliàs debiles & tum ad fluxiones recipiendas idoneæ, tum vicinæ membris, in quibus tanquā instrumentis idoneis aut aliàs debilitate affectúque correptis humores superfluitatésque in corpore humano redundantes hyeme figi ac delitescere con-

Quomodo solutio continui exulcerari cœperit.

re consueuerunt, fluxioně crudarum ac tenuium superfluitatum recipiunt & scalpro fortiùs impulso cutis neruosa cum carnibus subiectis læsa inflammari atque exulcerari incipit. Huic exulcerationi crusta superinducta est, & inflammatio dolórque cum putrefactione, tanquam symptomata, quæ solutioni continuitatis accesserunt, remanserunt, per quæ malum fluxionis auctum est quotidie, quòd materia multa in continuo motu constitueretur. Humores enim paulatim fluentes habitum induxerunt, vt natura prauo motu voluerit per particulam putrescentem & exulceratam omnes superfluitates à se repellere. Quæ si quippiam veneni contagiosi, quod efficacem quandã vim exercere potuisset, recepissent: ita procul dubio humorum & carnosarum particularum substantiam corrupissent, vt membra similaria cum vniuersa humorũ massa putredinem sensissent, sicuti postea factum est ex perniciosissima & damnanda argenti viui inunctione, cinnabaris suffumigatione & mineralis Turpeti intempestiuo illegitimóque vsu. Balneator verò Brunensis, medicæ rei imperitus, omissa humorum fluentium coctione, diuersione & euacuatione, putridi exulceratíque membri curationi primò totis viribus & operis institit. Fortasse itaque applicatis medicinis mundificantibus, detergentibus, exiccantibus, carnem generantibus & cicatricem inducentibus, quę

Prauus naturæ motus in eductione superfluitatum.

Mala curatio auxit symptomatum vehementiam.

omnia qualitate & facultate calefaciendi atq; ſiccãdi inſtructa eſſe vel minimo medicorum, qui certæ curandi methodo inſiſtit, omnino conſtat, inflammationẽ partis affectæ auxit & cauſam dedit humorum fluxioni, vt in maiore copia partem affectã inuaderent: Aut inſiſtens alterationi & mitigationi dolorum, loco exulcerato, inflammato ac dolore correpto adhibuit nimis intempeſtiuè & inconuenienter frigefacientia vel ναρκωτικὰ, quæ humores maligniores faciunt & cutem liuore fœdant. Etſi itaque opera induſtriáque balneatoris aliorúmq; imperitorum Chirurgorum vlcus in ægris corporibus conſolidatum & inflammatio tandem vnà cum dolore ſedata fuerit: tamen præter liuidas & turpes maculas, quæ cuti in loco affecto poſt conſolidationem reliquæ erant, fluxio & agitatio humorum in motu conſtitutorum ab illis neque animaduerti, neque curari potuit. Sed admoniti de doloribus, quos ægri ex humorum fluxu in iuncturis ſentiebãt, aut ſcabiem & liuorẽ cutis oriri cernentes, falsò autumauerunt luem Venereã in ægrorũ hominum corporib⁹ dominari. Humores enim exitu deſtituti, quem antè per locum ſcarificatum, exulceratum ac putridum habuerũt, cœperunt occupare neruos, iuncturas, muſculos, ſimilaria membra cutémque ipſam: & aut acerbiſſimos dolores, ſimiles arthriticis, in iuncturis & neruoſis partibus excitarunt, aut fœdo liuore turpique

Vlcere curato remanſiſſe ſine exitu materiã in corpore.

Humorum exitu prohibitorum effectus.

pique ſcabie, qualis frequenter à pituita ſalſa vel melancholicis humoribus, qui etiam autumni tempore collecti huic fluxioni miſceri potuerunt, generatur, partem affectam vel totam corporis ægri cutem fœdarunt pro materiæ peccantis multitudine, corporis totius habitu, & tum diætę, tum medicamentorum prauo vſu. Ægri itaque, errore balneatorum & chirurgorum adducti, ſuſpicati ſunt fomitem & ſemina luis Venereæ in vulgus contagione ſparſa eſſe, aut veneficium commiſſum fuiſſe, quod medicam manum reſpueret. Quæ res miſeris & de ſalute corporis viriúmque incolumitate in magna animi anguſtia conſtitutis hominibus cauſam dedit, propter quam ad carnifices cutas confugerent, vnguentis ex argento viuo compoſitis vterentur, cinnabaris fumum ferrent, potiones ſudorificas & vaporaria adhiberent. Vitæ enim ſanitatíſque auidi quiduis ſuſtinere, quàm cum infamia mori aut tantis cruciatibus diutius affligi, maluerunt. Quorum illa membrorum ſanorum temperiem & calorem naturalem oppugnarũt, recipiendæq; fluxioni iuncturas præpararunt. Argentum enim viuum externis membris inunctum aut intra corpus in ſufficienti quantitate ſumptum ſua nimia frigiditate & humiditate inſitũ cordi & vniuerſo corpori humidum corrumpit, vt glandes, gingiuæ, palatum & partes vicinæ, quę ſecundum naturam humiditate abundant, pu-

Error curantium pepe- rit morbo nomen.

Argenti viui efficacia.

tredine corrumpātur, vniuersus sanguis alteretur, saliua multa ex ore effluat, & quidquid est humorum in corpore reliquum, in pituitosas superfluitates resolui videatur. Hæc verò humores attenuarunt magisque effrenes & ad fluendum habiles reddiderunt, vt ferociore impetu de parte ad partem ferri possent. Eiusmodi enim calorifica poros cutis laxant, robur membrorum soluunt, & non modò humores quiescentes ad fluxum magis irritant: verùm etiam debilitatem membrorum augent & ad fluxiones recipiendas præparant. Sed dicere vereor, quid execranda curatio, per argentum viuum tentata, ampliùs efficiat: ne existimer odio quodam in chirurgos, qui illo extincto in vnguētis vtuntur, quoties morbo Gallico correptos in integram sanitatem restituere nituntur, commotus parùm veritatis ac humanitatis obseruans esse. Ipsi ægri dicant, quid commodi ex eiusmodi curationibus acceperint. Plurimi enim illorum se magis læsos cognouerūt, &, de sua salute atque fama desperantes, multum temporis in mœrore ac pudore vitam ab hominum consortio remotam egerunt. Verissimum enim est, quod inquit Thucydides: Ἐν τῷ διαλλάσσοντι τῆς γνώμης καὶ αἱ διαφοραὶ τῶν ἔργων καθίστανται. Quanquam autem Anabaptistarum Machaon subobscurá cognitionem huius mali ex chirurgi alicuius Germani libro hausisse existimatur, vt quasi per somnium viderit pilulis

Vaporaria & sudorifica quid effecerint.

Anabaptistam non errasse à scopo, sed absque methodo curasse.

lis ex Turpeto fomitem cauſamque materialem acerbiſſimorum ſymptomatum auferri & inde vlcus exquiſitiſſimè curari poſſe: tamen nulla inſtructus methodo, qua periti medici in curatione morborum vtuntur, dum ratione experientiáque duce multorum hominum vitam & ſanitatem ab interitu immaturo atque longis ægritudinibus vindicant, potiùs malum fluxionis exacerbaſſe & temerario actu vires ægrorum hominũ oppugnaſſe iudicatur, dum citra crudorum humorum coctionem & viarum, per quas materia peccans educenda erat, præparationem quotidie pilulas purgatorias de Turpeto exhibuit. Commouit enim reliquum, quidquid erat, humorum pituitoſorum, vt flueret & ob lentorem ſuum acerbiſſimos cruciatus in ægrorum hominum corporibus excitaret. Ita, DEVM immortalem, bonæ rei in ſalutarem vitæ humanæ vſum diuinitus conceſſæ & inuentæ multiplex ac pernicioſiſſimus abuſus ab impoſtoribus introduci poteſt, vt medicamenta tum non medicamenta, ſed præſentiſſima venena fiant. Non itaque iniuria eiuſmodi homines, qui illotis manibus ſacra myſteria artis medicæ tractant & cum detrimento hominum medicinam faciunt, malè audiunt ac odijs bonorum premuntur, cùm Iſocrates, homo gentilis, reuerentia quadam erga DEI dona motus dicat: δίκαιον εἶναι αὐτοὺς ἐκείνους ψέγειν, ὅσοι τοῖς ἀγαθοῖς κακῶς χρῶνται. Ars verò me-

Bonarũ rerum abuſus noxius.

Pſeudomedicos odio dignos.

Quid de bonis medicis sentiendũ.

dica & boni viri, qui eius præceptis instructi prudenter ægros suos tractant fideliterque suo munere funguntur, principũ virorum & omnium hominum amore, honore præmióque digni sunt. Monet nos diuinus Hippocrates concocta medicinis purgantibus tentari: & cruda non moueri debere: deinde quò natura motu suo vergit in humorum superfluorum aut aliàs peccantiũ subtractione, eò duci humores peccantes oportere, vt nimirũ illam ducem actionum nostrarum habeamus tum, quando per loca idonea & cõferentia videtur eductionem superfluitatum noxiarum moliri. Contrariam verò & tamen idoneam viam ad eductionem humorum excrementorúmque peccantium eligamus, quando illa prauum motum præ se fert ac superflua educere nititur per eas vias, quæ eiusmodi superfluitatum excretioni minimè competunt. Quæ cautio tantum momenti habet, vt etiam per locum affectum humorum fluentium euacuatio nunquã tentari debeat. Oportet enim humorum fluxiones à membris affectis per reuulsionem diuerti & ad loca opportuna dirigi ita, vt citra noxam extra corpus ægri hominis propellantur. Quicunq; verò humores extra venas sunt & in partibus similaribus, cuti substratis, hærent, ij ad interna mẽbra neutiquã reduci, sed in locis affectis concoqui & per poros cutis educi tum debent, quando eorum fomes ex membris naturali faculta-

Quando naturam sequi possimus.

Quando naturæ ductus negligendus.

Per locũ affectum non euacuandũ.

Humores carnosarum partiũ quomodo tractãdi.

cultati seruientibus ablatus est, nimirum postquam materiæ superfluæ in instrumentis naturalibus sunt coctæ & euacuante medicamento ablatæ. Hæc saluberrima præcepta principis medici si nota fuissent inepto chirurgo: potuisletque ille recto rationis iudicio his parere: citra carnificinam & execrandos cruciatus facilimè morbum & eiusdem symptomata curasset. Sed imperitum hominem latuit tum sententia horum dogmatum, tum omnis ratio rectè curandi morbos, qui intra corpus humanũ oriuntur aut externis membris quandoq; contingunt. Propterea cæcæ empiriæ insistens infelicem non modò suarum curationum euentum expertus est, sed etiam cum suo Turpeto corporum ægrorum ferocientes humores turbauit & ægros ipsos ita excruciauit, vt impostoris crudelis & non chirurgi nomine dignus merito suo censeatur. His præmissis asserere posse videor, neque reclamante veritate, neque contradicente ratione peritorum medicorum, hæc solutionis continuitatis symptomata rariora quidem, ob delictum in victu rariùs solitum committi, nullum habuisse Venereæ luis contagium, nullúmque ex aëris inspiratione in balneo aëreo venenum haustũ, quod postea cucurbita attraxisset. Si enim res ita se haberet, necessariò cucurbitula, quæ primũ membro carnoso cum scarificatu affixa erat, ad se venenum traxisset vi flammæ, per quam cuti sca-

Non fuisse morbum Venereum.

Nullum venenum contagione haustum esse.

rificatæ adhæret atque tractionis opus perficit: neque alij loco communicari potuisset venenosa illa virulentia, quę per aërem infectum, instar contagij pestiferi, in balneo hausta putatur. Eadem ratio est de scalpro, quod aut toxico aut sordibus venenosis infici potuisse putatur. Nam locus, qui primò scarificatus cũ noxio scalpro fuisset, malum primò recepisset. Atque ita omnibus hoc symptomatum malo correptis hominibus femora obnoxia fuissent fluxioni, inflammationi, exulcerationi, liuori, scabiei & cruciatui, quæ solutioni continui superuenerunt: nisi quispiam dicere vellet fraudis occultandæ causa scalpellum toties mutatum aut toxico corruptum, quoties alicui particulæ virus immitti debuit. Ex consuetudine verò, omnibus balneatoribus vulgariter recepta & adhuc obseruari solita, paulò supra genuum flexuram vtriq; femori primùm cucurbitula vna tréſve simul apponuntur: deinde reliquis membris singulæ aut ad summum binæ admouentur. Locus etiam cucurbitularum ambitu circumscriptus in femoribus primùm, profundiùs ac sæpiùs scalpro vulneratur, propter carnis molem siue pulpam copiosiorem, quàm in alijs corporis humani particulis, quæ ex longo vsu consueuerunt scarificari: deinde reliqua membra scarificantur, quibus cucurbitulæ affiguntur. Ad femora itaque omnium ægrotorum corpora venenum contagiosum, quod aëre

Scalprũ non fuisse infectum.

aëre mediante haustum putatur, statim ablegassent, neque vlli alij particulæ, quæ seriùs scarificata fuit, ingeri potuisset. Veneni enim aëre contagioso hausti substantia subtilis promptissimè & citissimè, propter perniciosissimam ac nocentissimam humanis corporibus vim, vniuersum corpus transit atq; locum illum occupat, qui aut intensè calet, aut debilitate præ cæteris membris, dolore attrahendique vi tentatur. Ibi inimicissimum vitæ humanæ munus velocissimè exerit, & citiùs substantiam non tantùm spirituum vitalium, sed etiam humorũ atque solidarum particularum inficit, quàm ignis in aridas paleas vrendo agit & illas absumit. Hoc autem potissimùm faciunt venena calida, quæ sunt subtilium partium & facilè ob præcipitem vim penetrare possunt. Quæ horum affectuum causa nullo modo extiterunt, cùm materiam frigidam & pituitosam habuerint: accesserunt etiam signa alia, vt puta ignauia, lassitudo, torpor, oscitãtia in obeundis munijs, mœror, anxietas, pusillanimitas & manuum pedúmque resolutiones. Hæc enim symptomata frigida sunt & à causis calidis neutiquam excitantur. Frigidum verò venenum nimia sua qualitate spiritus cõdensat & crassiores facit, quàm secundum naturam esse debent. Humores inde crassi, lenti & frigidi fiunt: postea vel cor gelu torpere incipit & homo moritur, vel obstructiones in membris organicis generãtur, quo-

Veneni vis.

Calidum venenum non fuisse cũ aere haustum.

Frigidũ venenum cum aere haustũ negatur.

rum meatus cùm sunt conclusi, spiritus nullus à suo principio in reliqua membra ferri, nullàque alimenti materia reliquis membris communicari potest: Sed animal aut subitò moritur aut paulatim marcore corruptionéq; consumitur. Sicut enim alimentum assumptum & à calore naturali sufficiẽter coctum in nostrorum conuertitur nutrimentum corporum, & vtilissima eius pars in succum, sanguinem substantiámque nostri corporis concedit, reliquo excremẽtitio per euacuationis vias tempestiuè reiecto: Ita venena & contagiosæ putredines corporum humanorũ naturale temperamentum immutant, & membrorum, quæcunque corripiunt, substantiam inficiunt atque tantisper corrumpunt, dum ad arcem vitæ impetum sibi concessum aduertunt. Frustra autem suscipitur omnis conatus, qui victus ratione vel præstantissimarum Antidotorum præsidio tentatur, vt veneni malignitas vincatur, quod putrefaciendi aut erodendi vi præditũ grauém corpori humano noxam iam intulisse aduertitur. Quod in horum ægrorum corporibus minimè contigit, cùm plerique prudenter & cautè in victu se gerentes citra medicorũ consilium & opẽ euaserint: plerique etiam satis miserè excruciati interuentu longi tẽporis, qui coctioni humorum pituitosorum suffecit, incolumitati priori restituti fuerint. Sed diuersa membra in malè affectis corporibus fluxionẽ, exulceratio nem

Alimẽti & veneni dissimilis effectus in corpore humano.

Venenũ vincens difficile expugnatur.

Nullũ mortuum ex his malis.

nem & inflammationem dolorificam recepe- *Cur diuerſa*
runt, quæ nimirum propinqua fuerunt parti- *membra fu-*
culæ, quæ ob ſuam imbecillitatem, vaſorum *erint exulce*
communitatem, ſubſtantię proprietatem & na *rata.*
turæ prouidentiam plurimum excrementoſæ
pituitæ acceperunt, & faciliùs loco dolenti in-
flammatóque ſuas ſuperfluitates ob frequen-
tiora venarum extremarũ oſcula conferre po-
tuerunt. Dolor enim inflammatióque in carne
excitata, quæ ambitu cucurbitulæ flámma re-
fertę comprehenſa concluſáque fuerat, ex pro-
pinqua fluxionis ſcaturigine ita ad ſe materiam
ſuperfluam, quæ ad tractionem cucurbitulæ
moueri cœperat, ſubinde attraxit, vt humores
pituitoſi, qui in capite collecti latebant, deriua-
ti fuerint ad cucurbitulas, quæ ſpinæ dorſi in-
tra ſcapulas affixę ſteterant. Humores verò, qui
in epate aut renibus coaceruati hærebant, flu-
xionis ſuæ impetum ad lumbos ſiue illam ſpi-
næ dorſi partem carnoſam direxerint, quæ cir-
ca lumbos ſcarificari conſueuit: Qui denique
in matrice, iſchio & iuncturis inferioribus cor-
poris collecti manebant, vi cucurbitulæ, medi-
ante ſcarificatione & flamma, ad motum irrita-
ti, poſtea inflammatione & dolore tracti, ad ge-
nu vtrumque vel alterutrum procubuerunt.
Humores enim, qui ſuperflui atque ad fluxum *Quomodo*
proni ſunt, ferũtur ſenſim ad partem debilem, *fluxiones*
quando mandantis particulæ robore expel- *fiant.*
luntur aut ob eius imbecillitatem ampliùs re-

tineti nequeunt ad partem affectam, siue illam solutio continuitatis, siue inflammatio, dolor aut quiscunq; alius affectus molestet atq; affligat, cũ impetu trahuntur, etiamsi in mandante particula expultricis virtutis robur nullum aut exiguum sit: neq; vitium in retentrice, quæ robore suo valet, existat, sed solam humorũ quantitatem nimiam habeat: Quanquam etiam sæpenumero, nulla existente superfluitatum copia, bonos humores & sanguinem optimum ad affectas particulas trahi inficias ire non possum. Si porrò statuerimus ex contagioso ac venenato aëre hoc malum in corporibus humanis ortum: necessariò etiam concedendum erit homines, qui scarificatione & sanguinis euacuatione beneficio cucurbitularum vsi non sunt, in eodémque aëre corporum suorum cutem abluerunt, illud virus haurire per inspirationem aëris infecti potuisse, & in maiori vitæ valetudinísque periculo versatos esse, quàm homines, qui cucurbitulis vsi venenum à corde & internis membris elicuissent ad membra externa & circumferentiam cutis; nisi fortè effugij occasionem præbeat id, quòd dicere possimus eorum corpora pura neque disposita fuisse ad recipiendum contagij actum: sicuti febres pestilentiales & ipsum contagium pestiferum tantùm inuadit homines, quorum corpora impura & habituata sunt ita, vt malum eiusmodi facilimè recipiant. Nam sicuti subtilissimum vene-

Aerem non fuisse virulentia infectum.

Contagio agit in corpora prædisposita.

venenum, quod inſpiratu aëris hauſtum in balneo fuiſſet, incantamenti inſtar ab internis membris per cucurbitam ductum ad externa membra tantam vlceris fœditatem, ſcabiem, dolorem, liuorem & fluxionem in particula, quæ ſolutionem continui patiebatur, excitauiſſe putatur: ita in reliquorum hominum corporibus, bene ad actum recipiendum diſpoſitis, manens potenter vires ſuas exeruiſſet: ſtatim membra vitalia & ipſum cor, quod calidiſſimum temperamentum præ cæteris corporis humani membris habere cenſetur, cùm ſit vitæ ac ſpirituum vitalium, quorum tota eſſentia in calore vitali conſiſtit, fons atque principium, inſultu & violentia ſua occupaſſet; aut ipſum epar, qđ eſt ſanguineę maſſæ officina & omnibus corporis humani membris alimentũ præparat, ſua vi & efficacia violaſſet atq; corrupiſſet: imò lethaliter totã corporis humani eſſentiam humorúmq; maſſam infeciſſet, quòd non habuiſſet liberũ exitũ, quem corpora ei præbuiſſent, in quibus vi cucurbitulę ad mẽbra externa tractũ exulceratione & exitũ ſibi feciſſet. Sed duabus obiectionibus, quæ in mediũ afferri & meæ ſententię reluctari poſſent, hîc reſpondendũ eſt antè, quàm curã eiuſmodi malis conuenientem oſtendã. Primo enim quiſpiã inferet hoc malorum genus nõ habere internam cauſam humorũ pituitoſorum copiã: & externam ſiue irritantem neutiquam in victum inordina

Obiectiones duæ diluuntur.

1.

tum & minimè competentem, neque in ſcarificationem referri poſſe. Aliàs enim ſingulis annis brumæ & veris tempore talia mala in illa vrbe euenire deprehenderentur ex ſcarificatione, qua ciues illius loci frequenter his anni temporibus, vt & alijs, vtuntur. Cui ſic reſpondeo. Nemo eſt, qui ignorat temperiem aëris ſiue conſtitutionem cœli plurimum poſſe ad producendam, augendam & intendendam in qualitatibus materiã, quibus ſymptomata eiuſmodi excitari & exacerbari poſſunt, ſicuti contraria aëris temperies materias illas minuit, corrigit & abſumere iuuat, velut id ipſum periodus horum malorum manifeſtè oſtendit. Quàm diu enim pituitoſi humores in corporibus ægris dominabantur: tam diu mala illa vigebant. Vt primùm verò illi tempore verno cœperunt minui: & ſanguineus humor dominium ſuum recepit: mala tanta in ægrorum hominum corporibus ampliùs durare non poterant. Et cùm non ſingulis annis eadem ſit cœli atque aëris facies, quæ brumæ & veris tempore fuit, quando ad ſcarificationes intempeſtiuas & inconuenientes talia ſymptomata ſequebantur: fieri neutiquam poteſt, vt huius generis mala quotannis euenire aduertantur. Erat enim hyemis vniuerſæ temperies frigida, & multis niuibus tota Morauia aliquandiu operta conſpiciebatur. Quæ aëris ſuperabundans intemperies vberiorem pituitoſorum humorum

rum copiam procul dubio tam in rebus non naturalibus, quibus hominũ vita alitur, quàm in corporibus hominũ intemperanter aut inordinatè viuentium generauit. Ver etiam anni ſequentis fuit adeò intemperatum, vt non modò eius principium, ſed & medium frigidum pruiniſq; & imbribus abundantibus incommodum adeò auxerit flumina, vt per multum tempus & quidem creberrimè pleno alueo cucurrerint & terras vtrique ripæ fluminũ adiacentes cooperiendo ſata corruperint. Imò æſtatis ſubſequutæ maxima pars frigidã & humidam temperiem habuit. Breuiter dicendo, totius anni M. D. LXXVII. conſtitutio importuna extitit & ſata floréſque arborum in tenera herba atque lanugine occupauit. Plurima enim, quæ cœli inclementiam ſuperarunt, ob ſerotinum germinandi, pullulandi, florendi & fructum faciendi tempus, ad iuſtam maturitatem peruenire ex pleniore coctura, quæ vi radiorum ſolarium fit, minimè potuerunt, ſed cruda & imperfecta manſerunt. Cauſam huius intemperiei ad Cometam, ſub finem anni M. D. LXXVII. viſum, quiſquis retulerit, nihil alienum à veritate dicere mihi videbitur: cùm, præter interitum Regum & euerſionem regnorum, etiam tempeſtates ac triſtia mala omnis generis ſtellæ crinitæ ſiue barbatæ mortalibus ſignificare poſſint, vt doctiſſimè Silius Italicus aſſerit, cùm inquit:

Impunè nunquam priùs orbi crine coruſco,
Regnorum euerſor, rubuit lethale Cometes.

II. Secundò non iniuria quiſpiam rei nouitatem miratus dixerit: Si ex humorum intemperie & copia, quam aëris conſtitutionem excitaſſe & auxiſſe perſuaderi debeo, dicis originẽ habere hæc ſymptomata: quî fit, quòd in tali anni conſtitutione tantùm fuerint his malis obnoxij homines diuerſi ſexus, diuerſæ ætatis, diuerſi temperamenti diuerſæq; vitæ, qui balneum illud ingreſſi cucurbitulis vſi ſunt, reliquis illæſis, qui aut alia cõtubernia balneorum ingreſſi ſcarificatione vſi ſunt, aut idem balneum viſitantes membra ſua ſcarificari non permiſerunt? Hæc res videtur cauſa eſſe, propter quam de veneficio, maleficio aut impoſtura nõ leuis opinio, plauſibiliſq; ſuſpicio concipi poſſet. Sed ad diluendam obiectionem hanc, præter id, quòd neq; omnes ciues inordinato vitæ genere vtuntur, neque frequenter ſcarificationem ferunt, neq; repleto ventriculo balneum ingrediuntur, neque in balneo potant, ſed temperanter viuunt & vitæ valetudiniſque rationem habentes minimum ſuperfluitatũ excrementorúmque intra corpora ſua colligunt, ad hæc neq; crebra neque profunda ſcarificatione delectantur: opus eſt nobis, vt conſideremus duo, nimirum aquæ tepidæ, qua in illo balneo abluuntur homines, facultatẽ, & ſcalpendi modum. Quod aquæ facultatem attinet,

net, tenendum accidentalem illam esse, quam ex ignis ardore accepit, & poros cutis laxare, membra similaria calefacere, humores in illis resoluere atque ad fluxum pronos facere, si nō modò multa eius affusio fiat, sed etiam corpora eidem immergantur, atque aliæ fluxionum irritandarum causæ accedant, de quibus suprà mentio facta est. Aquæ enim tepidæ affusio crebra cum aëre calido, vini potu, & cucurbitulæ trahendi facultate concurrens multū certè valet. Nam præcipiunt omnes in vniuersum medici corpora impura ad thermas neutiquam ableganda, quòd exquisitè sufficienterq; purgatis & à superfluitatibus excrementitijs liberatis vsus thermarum saluber sit ad id, vt aut membra naturalia in ijs calefiant, aut id, quod in similaribus partibus sub cute hæret, neque aliter extra corpus propelli valet, euaporando exudandóque absumatur. Thermæ enim, vt & ablutiones aquæ dulcis debilius facere solent, non solùm humores in superficie corporis, sub cute latentes, validè absumere ac digerere consueuerunt, sed etiam in profundo corpore collectas superfluitates, quæ medicinis non facilè educi valent, euocant atq; ad fluxionem impellunt, quæ de parte ad partem propulsæ ob suam crassitiem per poros cutis extrahi vi medica thermarum aut aquæ dulcis calefaciendi & resoluendi facultate nequeunt, sed sedem suam in debilioribus membris figunt &

origo materiéſque morbis fiunt. Cùm itaque homines impura & ſuperfluitatibus referta habentes corpora in aqua calida deliciarum cauſa diu natarint: humores per cauſas antè cõmemoratas ad motum præparati & incitati facilè moueri & impelli potuerunt, vt ad locum ſcarificatum & cucurbitulæ calore inflammatum confertim ruerent. Non autem omnem locum, cucurbitulæ cauitate poſt ſcarificationem concluſum, obnoxium fieri potuiſſe fluxioni, propter rationes de partium ſitu allatas, in quibus ſuperflua colligi & latere tam præter naturam, quàm ſecundum naturam ſolent, certum eſt. Modus deinde ſcarificandi oſtendit rationem, propter quam in alijs balneis incolæ vrbis non fuerint læſi, & ij, qui non vſi ſunt cucurbitulis in eodem balneo, citra noxam manſerint. Hic enim non modò ſingulis anni temporibus, ſed etiam ex dexteritate & agilitate promta manuum ſcarificantium multũ variat, quæ varietas ſi non diligenter obſeruatur, noxam membris ſcarificãdis afferre poteſt. Nam periti balneatores, quibus agilitas manus accedit, æſtiuo tempore vtuntur ſcalpro, quod acumine breui minúſque lato efformatum eſt. Illo leuiter feriunt cutem, vt quaſi lancinata mediocritérq; pertuſa appareat, vnde flamma cucurbitulæ incluſa ſanguinem quaſi perſudantem ex particulis ſcarificatis intra cucurbitulam colligit. Quod faciunt eam ob rem, quia

ſciunt

ſciunt humores ſubtiliores æſtiuo tempore promptiùs ad cucurbitulæ tractum affluere. Hyeme verò adhibent ſcalprum latum & aliqualiter longo acumine inſtructum, quale eſt illud, quo venæ aperiuntur, vt cutis fortiore digitorum ad ſcalprũ adactorum impulſu tranſuerberetur, ſcalprum profundiùs penetret & latiora vulnuſcula in ſumma cute fiant, per quę cucurbitula ſanguinis maſſam craſſam propter que pituitę dominium frigidiuſculam commodiùs educat. Plerique itaque huius rei ignari, & non modò minùs exercitati, ſed etiam agilitate manuum deſtituti, quando tremore manuum laborant & ſuæ laudi ſeruire, vt decebat, nequeunt, forti digitorum impulſu cuti ſcalprum latum imprimunt ita, vt ſupremam non modò cutẽ, quæ ἐπιδερμὶς dicitur, ſed & carnem ſubſtratam cõtingat & vulneret, qui ictus certiſſimæ inflammationi exulcerationíque obnoxij ſunt. Tenerrimus enim eſt ſenſus cutis neruoſæ, quę ſicut rete quoddam, non ſine miraculo totius corporis cuti ſubſtrata carnem tegit & ſenſum tactus externis membris præſtat. Hæc vulnerata, nimio calore aut dolore correpta vel flamma cucurbitulæ ſupercalefacta inflammari, humores attrahere & exulcerationem putredinémque excitare facilimè ſolet. Iterata præterea ſcarificatio hæc cutis pluribus neruis cõſpicuæ mala mirum in modum auget. Accedit & illud, quòd balneatores, bre-

uibus brumæ diebus multitudine lauantium obruti, neque tam necessaria diligentia cutem scarificant, neque in ablutione & appositione cucurbitularũ tam attenti ac curiosi sunt, quã ij, qui paucos hospites abluere coguntur. Loca itaque carnosa, quibus cucurbitulæ affigi debent, non modò profundius ac crebriùs scarificant, vt sanguis per cucurbitulam educendus copiosiùs citiúsq; euacuetur: sed etiã eius exitũ quandoq; studio impediunt & vulnuscula pinguedine inungunt, qua flammã nutriunt ad cucurbitularum appositũ, vt vt illa aliquando impura & qualitatibus noxijs prædita sit. Persuadent verò imperitis hominibus, quòd cutis scarificata ex hac inunctione citiùs coalescat ac sanetur, cùm contrariũ fiat: & humiditas ibidem relicta suppurationẽ exulcerationẽq; excitare prompta sit. Præstaret tamen, si homines sanis consilijs medicorũ optimorũ adquiescere possent & nõ suo fato in interitũ præcipites ruerẽt, hyeme neq; venæ sectione, neque cucurbitulis cum scarificatione vti, nisi summa in plerisque morbis id ipsum fieri iuberet necessitas, cui omnia iura, cõsuetudines ac rationes cedũt. Nã venæ sectione & crebro cucurbitularũ cũ scarificatione vsu adimitur optimus ac familiarissimus corpori humano succus, qui thesaurus est vitæ humanæ, cùm spiritus vitales in eo contineantur: & refrigerantur membra naturalia ita, vt deinceps pituitosorum humorum generatio-

rationi illo anni tempore minùs resistere valeant, sicuti resisterent, si non calor naturalis & spirituum copia per crebram nimiámque sanguinis euacuationem corpori humano subtraheretur. Ex his manifestum fit omnibus scalprum neutiquam toxico infectum fuisse, sed aut iteratam aut profundam scarificationem inflammationis causam extitisse, quæ dolorem, affluxionē humorum, putredinem & alia mala in affecta parte excitauit. Quæ enim, DEVM immortalem, rabies tantam hominum cordibus auaritiā ingerere & excitare posset, vt multorum hominum periculo ditescere & tam ancipitem temerariámque emergendi viam excogitare atque adgredi auderent? Si tamen hoc ipsum vsu veniret, vt magna hoc peruersissimo seculo est perditorum quorundam hominum impietas, malitia, impostura & inexplebilis habendi cupido: & balneatores odio quodam in humanum genus dementati vel insatiabili auaritiæ malo stimulati tale facinus committere auderent: quomodo malus ille dolus, in humanum execrandúmque facinus lateret, cùm etiā homicidia occulta mirando iustissimi DEI iudicio sępenumero per homicidij autores reuelentur, conscientia ipsos accusante, vt mala puniri & pax tranquillitasque in humana societate conseruari possint. Cucurbitulis tamen aliquibus & nequaquam omnibus vitium quoddam accessisse ex adhærentibus sordibus

Coniectura plausibilis de his malis.

& venenosis materijs vt creditu facilimum fateor: ita coniecturis vti subuereor, cùm sufficientes causæ horum symptomatum secundum veterum medicorũ præcepta ex humanorum corporum cõstitutione & circumstantijs, quæ à rebus non naturalibus sumi solent æquè, ac ab ijs, quæ circa corpus humanum & omnes facultatũ actiones contingunt, peti nullo cum negotio possint. Indecorum verò & turpe est homini philosopho & medico affectata curiositate confugere ad supernaturalia & cœlestia, quæ coniecturis tantùm nituntur, cùm etiam ad crebras obseruationes rarò euentus similes sequi compertum sit: sicuti leuitatis est ad fallaces suspiciones & vanas populi imperiti opiniones, quæ toties variant, quoties noui quippiam citra omne rationis rectæ iudicium affertur ac spargitur, à methodo inuestigandi rerum causas recedere, cùm è medio naturæ scrinio rerum, quæ præter naturam corporibus humanis accidunt, sufficientes causæ erui & promi possint.

Coniecturis vti non decet homines philosophos.

Opiniones vulgi mutabiles.

Δόξα γὰρ τὴν ἀλήθειαν βιάζεται.

Reliquum est, vt tertiam instituti mei partem adgrediar & curationem horum malorũ certa methodo constituam: vbi illud præmittendũ censeo, regiam viam tenenti facilimum fore rectam methodũ inuenire, qua malis eiusmodi occurratur. Regiam autem viam censeo esse rationem curandi morbos, quæ à veteri-

Tutum est communem curandi methodum tenere.

bus

bus ratione inuenta iam communis est omnibus medicis, qui arte experientiáque nituntur. Religio enim est, veterum vestigijs neglectis, ad neotericorum quorundam deliramenta & supinam diligentiam miniméque securam curiositatem recentium chirurgorum & quorundam simiorum oculos manúsque conuertere, qui statim ad ligni Guaiaci vel Chinæ coctiones cõfugiunt ac imposturis suis etiam doctissimis viris aliquando imponunt, sicuti in horũ symptomatum inepta curatione factum est. Quidam enim pharmacopœorũ Antidotum, cuius vsus frequens in Misnia esse perhibetur, quando morbus Venereus abigendus est, præparauit & cõiugi suæ exhibuit, quæ quauis Panacæa certior censetur. Sed decoctum illud à nullo artis medicæ perito compositum fuisse hinc apparet, quòd citra regulas medicas fiat & inconuenientem diuisionem in exhibitione habeat. Cùm enim ὑδραγωγὰ καὶ ἱδρωτικὰ in eum finem offerantur, vt similaria membra inuadant, in illis noxia resoluant & per poros cutis vnà secum in sudore aut per vrinarios meatus educant: subit mirari, quòd tanta copia foliorum senæ vnà cum hermodactylis & reliquis purgantibus addatur, quorum facultas est noxios humores per aluum educere. Contrarios verò motus naturę conflictanti cum morborum materijs inducere prohibemur, quod & materię in diuersis locis peccantes ferè nun-

Error in curatione commissus reprehenditur.

quam ferunt. Nam in similaribus membris, cuti substratis, materias constitutas intra corpus retrahere neque facilè possumus, neque sine reprehensione illud tentare audemus. Dum verò natura purgationi per aluum intenta est, non valet vim eliciendi sudorem ad membra similaria distribuere, materias cuti substratas resoluere & per pòros educere. Decoctum etiam quatuor vicibus exhibitum honestæ matronæ libellus indicat. Si itaque totum assumpsit, quod credere facilimum est, cùm medicinæ in eum vsum præparentur, vt ab ægris assumantur, quilibet haustus habuit in se ℥ x. ß. gr. vij. ß. cùm forte ligni Guaiaci decoctum vltra vncias sex loco syrupi in aurora rarò aut nunquam virili personæ detur. Sed omissis his, quę ad rem minimè pertinent, cùm non velim hîc ostendere, quos errores alij in morbi huius & symptomatũ crudelissimorum curatione com miserint: sed potiùs id agere constituerim, vt recta ratio curandi eiusmodi mala in hoc meo libello tradatur, reliquam instituti negotij partem adgrediar. Fit itaque horum affectuum cõmoda & artificialis curatio, quando decem hæ intentiones curandi tempestiuè ac dextrè obseruantur. Prima curandi intentio est vniuersalis totius corporis euacuatio, quæ nequaquam fiat per sanguinis missioné, etiamsi materia peccans sanguini mista videatur. Sanguinis enim missione corpus humanũ humorésq; refri-

Reprehenditur dosis magna.

Curatio.

1.

refrigerari & pituitosos humores eo anni tempore augeri antea dictum est. Sed euacuatio tentetur aut medicaměto purgante per aluum aut vomitum irritante. Pituita enim in ventriculo & primis venis contenta aliàs per aluum faciliùs duci, aliàs vomitu commodiùs reijci solet. Non tamen negligatur natura, habitus & consuetudo hominis, qui curandus est. Sed si vomere facilè consueuit, digito plumáve oleo dulci imbuta sibi palatum titillet, donec vomitus irritetur: aut decoctum aliquod vel aquam tepidam, cui oxymel simplex vel scilliticum, deinde vehementiora immista sint, assumat. Præcipiam etiam, vt circumstantes de rebus nauseam irritantibus & vomitum prouocantibus loquantur. Sin æger vomere difficulter aut nunquam consueuerit, dabitur ei haustus purgatorius in hunc modum præparatus, quandò est virilis persona & ætatem consistentem agit.

℞. Hieræ picræ simplicis ʒ iiij.
Confectionis Hamech ʒ iij.
Decoctionis aperitiuæ communis ℥ iiij.
Syrupi acetosi simplicis ℥ j.

Misce, fiat haustus, qui tepidus detur in aurora cum ieiunio quatuor horarum & totius diei custodia. Non enim tutum est aëri liberiori corpus exponere, quando purgante medicamento humores moti sunt. Secunda intentio II.
curandi est conueniens victus ratio, quæ con-

ſiſtit in legitima & tempeſtiua ſex rerum non naturalium adminiſtratione. Æger igitur vitabit aërem frigidum, cuius rei cauſa vaporarium calefieri debebit non modò aridis lignis, ſed etiam aromata & alia, vt lignum aloës, caſſiæ, iuniperi, cinnamomum, iuniperi baccæ, lauri folia & baccæ, ſabina, macis flos, maiorana, lauendula, ſpica, ſtyrax, caryophylli & quæcunque aërem calefacere atque exiccare ſua facultate poſſunt, carbonibus iniecta nidorē in aëre facere & eundem ſuffitu ſuo alterare neceſſe erit. Planè enim ad calidam & ſiccam temperiem aër habitationis inclinare debet. Cibis verò vtetur calidis, incidētibus, attenuantibus, facilè penetrantibus & ſanguinem bonum generantibus, vt amplior pituitæ generatio prohibeatur, & id, quod iam generatum eſt, conſumatur. Tales cibi ſunt, qui bene nutriunt, aromatis conditi ſunt & non multū excrementorum in corpore coaceruāt, vt iuſcula caponum & carniū pinguium, in quibus piper integrum cum mace aut zingibere coquatur, oua ſorbilia & in ſartagine ſubacta, carnes caponum, perdicum, phaſianorum, attagenum, auicularum montanarum, hœdorum, agnorum, vitulorū, piſcium ſaxatilium, cibi etiam alij non nihil aceti vel limonum acetoſorum ſucci continentes. Et in die bis cibum aſſumere ſolitus à conſuetudine hac non recedat: nimiam tamen repletionem, quæ faſtidium & nauſeam faceret, omni-

omnino vitet. Potus ſit vinum abſinthij aut aliàs clarum & album, non tamen forte, ne ſua vi penetret & humores ad motum intempeſtiuum concitet. Vigilijs interdiu plus, quàm ſomno indulgeat. Eum etiam, qui à cibo in meridie aſſumpto aut ſtatim à cœna fit, ſomnũ tanquam peſtem fugiat. Nunquam verò dormiat vltra nouẽ horas. Quod decubitus rationem attinet, in contubernio calido, corpore bene aduerſus frigus munito, ante mediam noctem in dextro latere: poſt medij noctis exactũ tempus in ſiniſtrum latus volutus iaceat. Plurimo exercitio, ſi per virium imbecillitatem poteſt, matutino tempore indulgeat, quando excrementa alui reddita ſunt. Nam exercitium tale calorem naturalem mirificè in corporibus humanis recreat & auget: humores in impuris corporibus colliquat, attenuat, coquit, ſudore euacuat & abſumit. Modicum verò exercitium eos tantùm ad fluxum idoneos facit, cùm non facilè reſolui & expelli ob ſuam tenacitatem, craſſitiem & cruditatem poſſint. In hoc vnico præſidio tantum momẽti eſt curationi talium ſymptomatum, vt præferendum ſit omnibus medicinis, quæ nihil vel parum admodum vtilitatis humano corpori præſtant, quando conueniens diæta & præſertim legitimum tempeſtiuúmque exercitium negligitur. Operam etiam det æger, vt non modò corpus vniuerſum ſit perſpirabile, verùm etiam conſueto tempo-

re excrementa alui ac vesicæ quotidie reddat, mucúmque & sputum euacuet. Immodicam repletionem, quæ cibo potúque interdum fit, robur ventriculi soluit & nauseam excitat, perniciosam fore putet & fugiat: quod fiet, si appetentiæ ac voluptuosæ gulæ frenum iniecerit, neque ad satietatem cibum potúmque ingesserit. Perturbationem denique, mœrorem, metum & alios animi affectus, qui calorem naturalem comprimunt, dissipant & debilitant, omni studio declinet. Gaudeat verò & non nunquam in aliqualem leuémq; excandescentiam consurgat: nimiam tamen iram fugiat. Quoniam illa caloris naturalis robur auget: hæc humores colliquat & fluere facit, vnde obstructiones & infinita mala prodeunt.
III. Tertia intentio curandi hos affectus est fluxionis à loco affecto diuersio, quæ præter ligaturas dolorificas, frictiones, cucurbitulæ siccæ vsum & alia quibus reuulsionē ac diuersionem humorum tentare cogimur, fit partim varijs reprimentiū medicamentorum formis, quæ fiunt ex frigidis & adstringentibus medicinis. Hæc circumiacentibus loco scarificato partibus admouentur. Ex illis verò sunt aqua simplex aut medicata, nimirum ex eiusmodi simplicibus destillata, aut ex minerali fonte, cuius vena adstringendi vim profert, sumpta atque frigidè vel tepidè adhibita, decoctum glandium calycum, corticum malorum granatorum, balaustiorum, florum

cyto-

cytoniorum, rhois & similiũ: aut vnguentum defensiuum dictum, de bolo Armena, Album de Semperuiuo, & similia: vt

℞. Tragacanthæ, in aqua rosacea dissolutæ, ʒ ij.
Succi semperuiui ʒ j.
Boli Armenæ,
Terræ Lemniæ, añ. ℈ j. ß.
Balaustiorum,
Rutæ foliorum, añ. ℈ ß.
Adipis taurini,
vitulini, añ. ℥ j.
Ceræ citrinæ ʒ iiij.

Misce ceræ & pinguedinibus liquefactis succum semperuiui & tragacantham: deinde vnitis adsperge reliquos contritarum specierum pulueres: probè omnia subige, & fac vnguentum, quo interdiu bis tér ve vngatur cutis, quæ in membro scarificato circa locũ affectum est. Partim refrigerantibus particulas inflammatas, siue illa sint simplicia, siue cõposita, vt sunt decoctum graminis, hordei, lapathi, lactucæ, maluæ, rosarum, quæ etiam aliqualem adstringendi vim habent, & violarum: aut vnguentum infrigidans Galeni, &c. Partim simul alterantibus inflammationem & mitigantibus dolorem, quibus adstringentia admisceri in æqua proportione aut paulò inferiore quantitate possunt, vt:

℞. Foliorum altheæ,

maluæ,an̄.m̄.ß.
Seminis lini,
fœnugræci,an̄.ʒ ij.
Florum balaustiorum,
rosarum,
Fructuum gallarum,an̄.ʒ j.
Aquæ fontanæ,℔.j.

Coque incisa & cõtusa grosso modo ad consumptionem tertiæ partis, & spongia in hoc decocto tepido madefacta iterúmq; expressa locus circumiacens partem scarificatam & exulceratam foueatur ita, ne vlcus ipsum propè

IIII. contingas. Quarta intentio curandi est materiei, quantitate vel qualitate, aliquando etiam motu tantùm, cùm substantia eius nimis tenuis est, peccãtis commoda coctio, quæ fiat in ventriculo & epate hoc modo:

℞.Syrupi de absinthio,
de euparorio,an̄.℥ j.
Vini absinthij ℥ iiij. (aut tantundem liquoris ex eupatorio vel saluia destillati coctíve)

Mista da tepidè septem vicibus in aurora, vt solet fieri.

℞. Diacinnamomi ʒ iiij. Vtatur cum singulis syrupis pro libitu hac Antidoto.

In capite fiat coctio & præparatio humorũ cum syrupis de betonica aut stœchade, quibus admisceantur stillaticij liquores betonicæ, maioranæ, lauendulæ, &c. In thorace coctio perficiatur

ciatur cum syrupis de glycyrrhiza, hyssopo, brassio, & similibus, qui diluuntur cum aquis borraginis, hyssopi, saluiæ, buglossæ. In renibus & vesica locum habent syrupus de quinq; radicibus, oxymel simplex & compositum, alijque cum aquis asparagi, fœniculi, petroselini & alijs, quæ membra hęc in pituitosis malis respiciunt atq; iuuant. In matrice patiente commendātur syrupus de artemisia cum aquis melissæ, matricariæ, artemisiæ, &c. In mistione tamen obseruandum, vt plus aquarum, quàm syruporum, sumatur. Membra enim, ad quæ penetrare debent, longè à ventriculo sita sunt. Quam obrem ad velociorem penetrationem maiorem subtilitatem requirunt. Post sufficientem humorum coctionem, quæ rationi substantiæ quantitatis aç qualitatis aliàs citiùs, aliàs tardiùs perficitur, euacuatio fiat peccantis materiæ à ventriculo & epate in hunc modum: Y.

℞. Floris cassiæ, recèns extractæ, ℥ ix.
Specierum hieræ picræ, ℥ j. ß.
Sacchari albissimi, q. s.

Misce secundum artem, fiat bolus deuorandus in aurora cum ieiunio quatuor horarum & diei totius custodia. Ab epate, renibus & vesica hoc medicamento aut simili fiat materiei eductio.

℞. Decocti asparagi,
eupatorij,
fœniculi, ℥ iiij.

Syrupi de quinq; radicibus, ℥ j.
Benedictæ laxatiuæ, ʒ vij.

Misce, fiat haustus, qui detur tepidus in aurora secundum leges. Postea locum habent pulueres διυρητικοὶ & simuli facultate præditæ Antidoti. A capite educantur humores per pilulas Alephāgineas, Lucis, Cochias & similes. Ex harum enim massis sumitur vt plurimùm drachma vna, quæ cum syrupo aut liquore, caput respiciente in affectu pituitoso, subacta formatur in xv. ix. vij. aut vj. pilulas, vt in puluere conuenienti deuolutæ aut bracteis aureis tectæ in aurora glutiri possint. A pectore & alijs membris educendæ materiæ tententur cum ijs medicinis, quæ partem affectam respiciunt & humores inde educunt. Quando verò à toto corpore tenues humores sunt educendi, raró purgantia, quæ aluum soluunt, locum habent. Sed plurimùm commodi præstant διυρητικὰ καὶ ἱδρωτικὰ, siue vrinam & sudores mouentia, cuius generis multa habemus: aliquibus tamen placet Theriacā, Mithridatum, Guaiaci & Chi-
VI. næ decoctum. Hinc locum affectum, quem superioribus decoctis fouendum & vnguentis vngendum censeto, quàm diu syrupis & purgantibus vteris, respicere iubemur. Eius intemperies præternaturalis, quæ reliqua esse cognoscitur, ante omnia corrigatur medicinis, quæ contrariæ sunt qualitatis & inflammationem dolorémque in vniuersum corrigere atq;

au fer-

auferre consueuerunt. In eorum tamē vsu hoc vnicè cauendum, ne actu frigida loco exulcerato admoueantur: neque nimiùm refrigerando calorem innatum & reliquū membro obtundamus. Inde enim grauius sequeretur malum, si verū est, quod Hippoc. lib. 5. Aph. part. 20. dicit. Etiamsi enim inflammationi recenti conuenire dicat frigida in Aphor. 23, eiusdem libri: tamen in eiusmodi affectibus, qui à pituita fouentur, tutò non adhiberentur, quòd nigredinem membris afferrent & consolidationem prohiberent. Quando intemperies præternaturalis alterantibus medicinis sufficienter correcta aduertitur: roborantibus medicinis vtimur, vt naturalem particulæ temperiem foueamus ac membrum ipsum ad suæ substantiæ conseruationem irritemus. Huic vsui seruiunt tum alterantia, tum ea pharmaca, quæ cognationem ratione temperamenti aut totius essentiæ cum loco affecto habent: atque eiusdem facultates respiciunt & calorem ingenitum cū illius actionibus conseruant ac iuuant. VII.

Interea etiam mediocriter calefacientibus & siccantibus ablutionibus, pulueribus, vnguentis & emplastris locum exulceratum extergimus & probè mundificamus. In hunc vsum mirificè commendatur vnguentum Ægyptiacum & Basilicon magnum. VIII.

Cùm solutio continui est sufficienter expurgata & probè exiccata: aut cū prioribus exiccantibus instandum IX.

aut vehementiore ſiccandi facultate præditis vtendum, vt attrahant alimentum & carnem generent, quæ reſtituat id, quod putredo abſumpſit. Fiat autem illud tam diu, donec caro in cauitate ſolutionis continuitatis regenerata reliquam carnem altitudine ſubſtantiáque æ-
2. quet. Tandem cicatrix loco affecto inducenda venit. Huic intentioni ſeruiũt medicamenta euidenti facultate calefaciendi & ſiccandi prędita, vt humiditatem carnis nouiter generatæ in ſuperficie ita exiccent, vt ſuperficies illius quàm proximè ad ſimilitudinen reliquæ cutis accedat. Cutis enim non renaſcitur, ſed durior quædam conſiſtentia & cute reliqua craſſior, naturæ ac medicamentorum beneficio per induſtrium chirurgum loco affecto inducitur.

Hæc, quę de curatione ſolutionis continuitatis, cum affluxu pituitoſorum humorum & horrendis ſymptomatibus coniunctæ, in medium afferrem, hoc tempore habui. Videntur verò mihi ita explicata & veritati rectæque rationis iudicio adeò conſentanea, vt ſecundum hanc methodum ſymptomatum cauſæ citiùs inueſtigari multóque meliùs auferri & ſanitas ægris hominib⁹ faciliùs reſtitui potuerit, quàm Empiricorum & balneatorum peruerſa ratio id perfecit. Hęc enim cum venenoſis & intempeſtiuis medicinis, prauo victu & ineptis operationibus cauſam vehementiſſimis ſymptomatibus, quæ ante & poſt conſolidationẽ præmatu-

maturam vlceroſarum particularum, in quibus ſolutio continui facta erat, in corporibus ægrorum hominum crudeliter graſſata ſunt, procul omni dubio dediſſe cenſentur. Si alijs ſecùs, atque dictum eſt hactenus à me, res ſeſe habere videtur: animi ſui ſententiam de illiuſmodi malorum cauſis & curationibus proferant. DEO ſit laus, honor & victoria in ſecula ſeculorum.

FINIS.

IOANNIS SPORISCHII AB OTTENBACHAW, MEDICINÆ DOCTORIS LIBER *de Febre Epidemia Anni ab Incarnatione Seruatoris nostri* 1580.

CAPVT PRIMVM.

Causa ærumnarum & calamitatum, quibus vita mortalis exercetur.

INGRAVESCENTE mundi senescentis & ad interitum vergentis ætate vires non modò elementorum & creaturarum omnium fieri debiliores, quàm florente & crescente mundi ætate fuerunt: verùm etiam crebrioribus mutationibus obnoxias esse communis hominum omnium, qui puriore ac perfectiore mentis diuinæ lumine aliquid præ cæteris mortalibus in hoc negotio iudicare possunt, consensus abunde testatur. Id ipsum autē potissimùm fieri propter horrendū primorum parentū lapsum, qui nobis & vniuersæ posteritati iram DEI, infirmitates & omnis generis mala atque pœnas intulit adeò, vt neque cæteris creaturis iustissimi DEI ira, flagrans ob præuaricationem in Paradiso factam, parceret, neque malum vllum in mundum veniat corruptibilem, quod non in cor-

Peccatum causa malorum.

correptionem & emendationem hominum peccantiũ excitaret Dominus, vnanimis Christianorum omnium fides ex catholica sacræ scripturæ traditione firmiter autumat. Sicuti enim in μικροκόσμῳ videmus atq; experimur vitale robur paulatim imminui & de die in diem tantò debilius fieri, quantò propiùs ad limen senectutis peruenit: ita etiam in magno mundo, quem veritas verbi diuini neutiquam æternum fore prædixit, leges elementorum vt & creatorum omnium non nihil labefactari: & eam ob rem creberrimas incidere mutationes in his inferioribus mundi partibus, quotidiana hominum omnium experientia tam perspicuè attestatur, vt plura de his dicturus in meridie candelam accendere & lucem aduersus nitidissimos Solis splendentis radios excitare velle videatur. Nam vt de alijs rebus taceam, quæ languorem & imbecillitatem mundi veterascentis manifestè arguunt: dicam tantùm de humanis corporibus, quæ certè debilius & imperfectius robur hoc nostro æuo habent, quã præteritis mundi crescentis adhuc seculis habuisse ex monumentis historiatum cognoscuntur. In illis enim vitalis vis maior & validior, quàm hac nostra ætate, rebus creatis adfuit. Quam ob rem etiã superioribus mundi ætatibus corpora hominum fuerunt magna, vegeta & valido virium robore prædita, vt & in multam vitæ suæ ætatẽ processerint & cremen tum mem-

Pœna peccatorum flagellum piorum et impiorum.

Mundi finẽ variæ mutationes præcedunt.

Corpora hominum debiliora, quã præteritis mundi ætatibus.

brorum maius habuerint, quàm noſtra ætate hominum corporibus conceditur: præterea etiam viribus tum animi, tum facultatum omnium longè præſtiterint. Vnde factum eſt, vt neque morbis tam crebrò affligi potuerint, ac noſtro æuo humanum genus varijs languoribus & morbis plurimis periculoſiſſimiſque ſubinde exercetur: neque opus habuerint tot præſidijs ad vitæ ſuſtentationem & negotiorum neceſſariorũ tractationem, quibus humanarum virium imbecillitati callidè & dextrè occurrerent. Nam cùm mundi nouiter creati vigor recens ac validus eſſet, homines in multa ſecula viuendo procederent & integritatem virium morúmque poſſiderent: æquè ad propagationem cognitionis diuinæ & voluntatis in mente æterna immotæ, atq; ad vitæ productionem, virium incolumitatem morúmque moderationem: denique etiam ad boni ordinis in politijs inſtitutionem ac conſeruationem adminiculis multis non opus erat, quibus hoc noſtro æuo mortalium hominum cõuerſatio crebertimè vti cogitur. Sed patres familias viua voce domum ſuam inſtituebant in ijs, quæ tum ad cultum & honorem verum immortalis DEI, tum ad vitæ & morum integritatem non minùs, atque ciuilem & tranquillam vitam apprimè ſpectare videbantur. Robur enim validum animorum atque corporum ſufficiebat mortalibus ad propulſionem rerum, à quibus aliquid

Noſtra tempora pluribꝰ morbis affligi, quàm præteritas mundi ætates afflixerint.

Priſca ſecula nõ opus habuerunt adminiculis tot, quot noſtra ætas vtitur.

quid noxæ ante fatalem eorundem diem creari corporibus animísque eorum potuisset tam crebris insultibus, atque hoc nostro æuo fieri experimur. Cùm verò diuina æterni DEI sapientia posteriores mundi ætates prospiceret & ex ineffabili clementia, qua genus hominum complectitur atque fouet, consulere vellet decrescenti robori & virtuti in humanis tum animis, tum corporibus indies collabenti: admirando suæ sapientiæ ac prouidentiæ motu excitauit priscis seculis ingenia heroica mortaliũ, quos præ cęteris hominibus mente intelligentiáque plurimùm beauerat, vt ijdem, Spiritu DEI adjuti, varias vtilissimarum artium disciplinas inuenirent & posteritati de manu in manum traderent, quibus imbecillitati virium humanarũ succurreretur & infirmitatibus noxijs obuiam iretur, ne videlicet agnitio DEI, voluntatis diuinæ, & tum omnis honestatis atque mansuetudinis, tum rerum in vita fragili ad aliquem finem vtilium inter homines paulatim euanesceret: néve breuis hominum vita continuis morbis oppugnaretur, & antè auferrentur è viuentium numero ij, qui humanæ conuersationi multo vsui esse possunt, quàm iustũ ætatis maturæ tempus contigissent. Primùm itaque inuenti sunt numeri, quibus temporum distinctiones & cursus corporum cœlestium annotarentur: Deinde literas & artem scribendi prouidentia DEI per suum spiritũ sapientiæ

Vnde disciplinarum et artiũ semina prouenerint.

Finis artiũ & adminiculorum deminitus hominibus concessorum.

Vide Iosephũ de antiquitatibus Iudaicis lib. 1. cap. 4. 8.

contulit hominibus, vt essent adminiculo intelligentiæ ac memoriæ hominũ: & posteritati seræ consulerent in eo, quòd beneficio illarum res ob origine mundi gestæ & posteris proponendæ fideliter consignarentur. Inde doctrinarum & artium omnium semina promanarunt. Inde prudentiam & experientiam humanis mentibus nasci & augeri videmus, ne posteritas breuis alioqui vitæ in infantia & inscitia rerum antè gestarum viuere deinceps cogatur. Quidquid enim in vegeta mundi ætate homines ingenij viriúmque dotibus præstantes ductu & motu Spiritus diuini inuenerunt, fecerunt & experientia nõ solùm cognouerunt, sed etiam posteros suos fideliter docuerunt: id literis postea consignatũ ad succedentes mundi ætates peruenit. Quam humanorũ ingeniorum industriam vltima mundi ætate iuuare ac promouere volens diuini Numinis benignitas inenarrabili sapientia excitauit solertissimorũ hominũ ingenia, vt artem typographicam inuenirent & multiplicibus mortaliũ vsibus conferrent. Per hanc doctrina de Deo, voluntate Dei & rebus in vita humana vtilibus atque necessarijs mirabiliter conseruatur atq; propagatur, quę, absq; hoc Dei misericordis dono esset, jam dudũ ex animis mortaliũ euanuisset. Nam cum viribus corporũ & animorum decrescentibus etiam pietas & reuerentia erga Devm, sacrosancta illius dogmata atq; honestas discipli-

Finis historia & omnis scriptura.

Typographia humana industria succurrit.

Pietatis studium fugere.

nas

nas admodum deflagrauit & penè prorsus extincta est in animis hominũ, qui in tanta occasione discendi & copia vtilissimorũ librorum luxuriant: dona DEI nihili æstimant: pia, honesta & vtilia dogmata negligunt: ineptiis, nugis & figmentis voluptuosæ desidiæ seruientibus delectãtur: securi vitam agunt: incertis opinionibus omnia mundi degeneris negotia cõstare & moueri existimãt: turpes delicias sectantur: atque ita longissimè ab integritate prisci seculi degenerantes ad omnes impietatis & nequitię damnosæ errores proni feruntur. Hac hominũ secura impietate & perniciosa detestandáque malitia commotus DEVS ad iustissimam iram, etiam pœnas, quas talibus delictis & sceleribus sua prouidentia imperuestigabili in creatione rerũ præordinauit & in flagitiosa ætatũ nostrarum tempora reposuit, vt ijsdem indies magis magísque augescentem mortalium malitiam crebriùs, quã prioribus mundi ætatibus, coërceret atque reprimeret, frequentiores & grauiores hoc declinante mundi veteris æuo in humano genere grassari sinit. Misericors enim DEVS, verè satagens humanæ salutis, quam morte & satisfactione Filij sui vnigeniti credentibus verbo DEI hominib⁹ peperit, flagellis talibus nos subinde corripit, ne in detestanda scelerũ prauorum via progressi iram illius iustissimã nobis nimiũ cumulemus: néve absq; omni emendatione viuentes tandem cum impijs contem-

Esdræ lib. 4. cap. 14.

Pœnas horũ temporum præordinatas à DEO.

Cur DEVS pœnis [illegible] exerceat homines.

ptoribus, hostibus & persecutoribus veritatis diuinæ in æternúm exitium ruamus: sed potiùs castigationum eiusmodi flagellis vexati atq; in meliorem viam reuocati impietatem omnem tempestiuè abnegemus, fructus dignos pœnitentia Christiana agamus & viua vtiliáq; membra in sanctissimo Christi Iesu corpore maneamus, donec mortalitatis iugo deposito in DEI & beatorum angelorum consuetudinē iucundissimam transferamur. Hæ sunt primariæ & validissimę causę omniū miseriarum, calamitatum & ærumnarum, quibus in hoc mundo exercemur. Nolumus autē hoc loco plura de his referre, cùm videamus atq; intelligamus argumentū harum causarum potius ad diuinum sacrosanctæ Theologiæ studiū, quàm ad philosophos vel medicos spectare. Et quandoquidē pauca de his nostro instituto præmittere non erubuerimus: tempestiuū esse ducimus, vt receptui canamus, nos intra professionis propriæ septa recipiamus atq; agamus de causis & curationibus morbi epidemij, qui mense Augusto Anni 1580. celerrimo cursu in omnibus ferè vniuersæ Europæ prouincijs grassabatur.

1580.

CAPVT SECVNDVM.

Descriptio morbi epidemij.

Morbos esse flagella Dei.

IN malorū autem, quibus DEVS vtitur, quando mortale genus emendare & ad meliorem

vitam

vitam retrahere vult, claſſe non infimũ locum occupant morbi varij & terribiles, qui per totum terrarum orbem hac noſtra ætate creberrimè vagantur, & aliquando hanc, aliquando aliam prouinciam inuadunt populariterque in ijs graſſantur ita, vt pauci incolæ ab illis immunes ſint & plurimi hominũ è viuorum conſuetudine per illos auferantur. Sic legimus lib. 2. Regum cap. 24. iram DEI concitatam erga Dauidem & populũ Iſraël triduum flagraſſe à Dan vſq; Berſabee, &, angelo DEI percutiente, intra tam breue temporis ſpaciũ peſte lethifera ſeptuaginta millia virorũ abſumptos fuiſſe, cùm Dauid Rex maluiſſet incidere in manus DEI, quàm in manus hoſtium. Cui plagæ, iuſtiſſima omnipotentis DEI ira excitatæ in populo, præ omnibus ſpacioſæ telluris gentibus peculiariter electo, admodum velocitate ſimilis fuiſſet morbus epidemius, qui improuiſus nõ tantùm vniuerſam Germaniã, ſed etiam omnes totius Europæ prouincias adoriebatur & affligebat, ſi lethiferam vehementiã habuiſſet. Miſericors enim DEVS, iræ ſuæ iuſtum furorem oſtendens & brachij ſui robur per vaſtatorem & interfectorẽ angelũ, reminiſcebatur miſericordiæ ac clementiæ adeò, vt pœnas meritas mitigaret & iram iuſtiſſimã miſericordia clementiáq; temperaret eam ob rem, quòd ſcit fragilem eſſe hominum naturam, quę ab initio natiuitatis pronior eſt ad malũ, quàm ad bonum. Tales morbi

Lege ſimilẽ plagam Exo. 9.

DEVS in ira iuſtiſſima furore reminiſcitur miſericordiæ.

Morborũ publicè grassantiũ communis appellatio.

Græcis Philoſophis ac Medicis dicuntur ἐπιδήμιοι, hoc eſt, populares ſiue publicè in populo graſſantes, quòd nimirum inuadant maximam populi partẽ in prouincia vel vrbe, quam lues noxia, permittẽte DEO, inuadit & tantiſper affligit, dum ſæuitia eius iuſtiſſima mandato DEI reprimitur. Non autem horum morborum vnum genus eſt, ſicuti barbari exiſtimant medici, qui nomine ἐπιδημίου νόσου tantùm intelligunt luem ſiue contagionem peſtilentialem, quæ plurimos homines in aliqua prouincia certo tempore inuadit. Sed generale hoc vocabulum continet ſub ſe contagionem peſtilentem & omnes morbos, qui aliquã vrbem vel totam prouinciam repentè inuadunt & vno eodémq; tempore plurimos incolas abſq; diſcrimine ſexus atq; ætatis corripiunt, etiamſi alios ex illis eluctari, alios verò diem ſuum obire cõtingat.

Epidemios morbos varias in ſpecies partitos.

Deſcriptio morbi.

Ex epidemiorum itaq; morborũ genere fuiſſe etiam hanc febrem cenſendum eſt, quæ breui temporis periodo penè vniuerſam Europam peruagata eſt adeò velociter, vt vltra menſem eius ſæuitia in nulla gente durauerit. Febris enim illa non modò priuatas domos, ſed etiam vrbes & integra regna cum tanta ferocia inuaſit, vt penè nulli ſexui, nullíque ætati pepercerit, ſi receſſeris à planè decrepitis corporibus, quæ materia morbi interna deſtituebantur, in qua morbus fomitem ſuum habuiſſe videtur.

Definitio febris.

Cùm autem febris omnis ſit caloris naturalis in

in igneum & præternaturalem ardorem mutatio: dubium nullum est, quin huius febris substantia quidem constiterit in ingenito cordis calore & spiritibus ignea qualitate correptis: materialem tamen causam humores putredine leui intra vasa correptos habuerit, penes quos illo anni tempore in massa sanguinea dominium fuit. Aliàs enim in ἐφημέρων πυρετῶν numero constituenda fuisset, quarum febrium terminum excessit. Durauít enim ad minimum quatriduum: & ad summum quatuordecim dierum spacium contigit in ijs corporibus, quę κακοχυμίᾳ huius febris essentiæ appropriata & conueniente laborarunt. In eiusmodi enim corporibus materia copiosa fomitem dedit longiorem febrili incendio, quod in alijs corporibus, quæ minus de illa materia vel ob ætatem, vel ob temperamentum naturale, vel ob bonam & circumspectam viuendi rationem collegerant, neutiquam fieri potuit. Quæ ratio fecit, vt à nobis ex sententia Hippocratis in acutorum morborum serie collocaretur: minimè tamen periculosa censeretur ob spirationem neque valde alteratam, neque admodum impeditam, & denique tum ob eius mites mores, tum ob celerem eius ad vigorem declinationémque transitum, vt id ipsum docet Hippocrates libro 1. Progn. part. 28. Dicit enim ibidem facilem spirationem in acutis morbis, qui febrem coniunctam habent ita, vt

Febris epidemiæ essentia.

Febris epidemiæ duratio.

In quibus corporibus diutius durarit febris illa.

Lib. 2. Aph. part. 23.

quartum diem febrilis ardor non excedat, multum momenti afferre ad salutem ægri hominis. *Symptomata febris epidemia.* Symptomata huic febri fuerũt admodum benigna, vt plurimi homines æquis animis illa sustinuerint, neq; vllis remedijs vsi fuerint. *Ardor mitis.* Calor enim eius vt plurimum erat mitis & blandus, quemadmodum id medici exercitati per tactũ cognoscere poterant: & ægri prudentiores, qui animosi & cordati tantum ingenij habebant, vt possent ardoris febrilis qualitatẽ cognoscere & iudicare, medicis referebant. *Dolor capitis.* Etiamsi autẽ dolor capitis acutus, tensiuus ac grauatiuus febri adiungebatur, quòd panniculi ce rebri vaporibus & humorib⁹ repleti tenderentur & intensis materiei peccantis qualitatibus affligerentur: tamen neq; multo tempore durabat, neq; somnum ægrorum impediebat, neque interdiu animalis facultatis actionibus admodum officiebat. Ante prandium verò, quo tempore moueri & dominari cœpit bilis flaua reliquis humoribus, euidẽter intendebatur: at grauitas tensióq; augebatur non nihil à prandio, quando vaporibus eleuatis ex alimento assumpto tum, quãdo membra naturali facultati seruientia primas nutritionis actiones adminiculo caloris naturalis & facultatũ perficiebant, cerebrum paulò liberaliùs replebatur. Accessit etiam huic febri in plerisq; corporibus tertium σύμπτωμα, quod erat catarrhi tenuis ad fauces & *Catarrhus & tussis.* pectus destillans fluxus, qui instrumẽtis respiratio-

tationi ac voci formandæ seruientibus repletionem grauantem, leuem atque siccam tussim & molestam raucedinem attulit.

Capvt tertivm.

De causis epidemij huius morbi externis.

POSTQVAM nobis satis constabat de natura siue substantia & symptomatibus morbi, qui publicè tunc grassabatur: statim nobis inquirendæ erant causæ naturales, quæ illum produxerant & adhuc in ægris hominum corporibus fouebant. Duplices autem in singulis morbis causas doctissimi quiq; medicorum constituunt. Alias enim earum appellant προκαταρκτικὰς siue præincipientes, quæ occasionem morbis præbent: Alias verò ex illis dignantur nomine προηγουμένων, quòd sint præcedentes & cōiunctæ causæ, quæ essentiam morbi constituunt, augent & conseruant, quàm diu in corpore animato reliquæ manent. Sicuti autem illæ extra corpus humanum positæ nihil agere, nullúmque affectum imprimere corporibus humanis possunt, teste Galeno, nisi inueniant subiectum bene ad actiones externarum causarum recipiendas dispositum: Ita hæ in viuo animalis corpore collectæ quiescunt, neq; quippiam noxæ actionibus facultatū inferunt antè, quàm ab externarum causarum sufficienti efficacia impelluntur. Tunc enim demum in

Causa morborum.

Externa.

Interna.

Causas externas agere in subiectū praedispositū.

Libro 1. de symp. cau. cap 2.

Causas internas nihil agere nisi irritentur ab externa causa.

actum procedunt internæ & latentes causæ, vt aliàs faculatem, aliàs instrumenta primaria, aliàs subministrantia membra, aliàs facultates ac instrumenta simul lędant atque morbū efficiant, cùm externæ causæ satis validæ accesserint, quæ illas irritant atque incitanr. Etiamsi autem vtriusque generis causę morbum in humanis corporibus producere valeant: & ideo causarum numero censeantur, quòd aliquā generationis partem morbo, qui fit, conferant, tamen altera citra alterius causæ adminiculum ad producendū effectum inutilis & impotens est: Sed necessum est vtramq; causam simul in agendo cōspirare ita, vt agens siue externa sufficiens robur habeat: & interna, quę actum excipere præincipientis causæ debet, ita disposita sit, vt actum irritantis causæ recipere, & vires, noxias facultatibus atq; instrumentis corporis animati, sufficienter exercere possit. Nam externa siue extrinsecus adueniens causa etiamsi incidat in corpus bene temperatum & purum, nil quidquam efficit, quod actionibus euidentem noxam afferret: sed frustra vires suas intendit, cùm robur virium in bene temperato & optimè habituato corpore facilè conatum illius reprimat atq; repellat. Si verò præincipiens atque externa causa inuenit corpus malè temperatum & ita dispositum, vt propter collectionem prauorum humorum, qui idonei morborum generationi habentur & actionibus causarum

Lib. de Sym. dif. cap. 1. de San. tu. lib. 4, cap. 2.

Libro 3. de Symp. cauf. cap. 1.

Lib. 1. Methodi, cap. 8.

Lib. 3. de præsagijs expul. cap. 6.

Lib. de Con. artis ca. 83.

Subiectum causæ agentis prædispositum sit necesse est.

In quib9 corporibus externa causæ facilè actū producant.

sarum externarum facilimè consentiunt: tum illa citra multum negotium affectum morbosum producit. Pari ratione causæ internæ colliguntur & latent in corpore citra noxam tantisper, dum aut robore caloris naturalis concoquantur & euacuentur: aut valida externæ causæ operatio adueniat & eas ad morbi productionem impellat. Quod itaq; attinet febris epidemiæ, de qua agimus, causas externas, omnibus in propatulo est Christi fidelib⁹, & ethnicis sanioribus quasi per somnium innotuit, primariam atq; efficacissimam causam esse hominum malitiosam improbitatē & impiā peccandi proteruiam, qua DEVS, ad iustissimam commotus iram in genus humanum, præter bella, seditiones, terræ motus, diluuia, noxias bestias, famem & incendia mittit varios languores ac horrendos morbos, vt impia fex, quæ mentem DEI neque vult intelligere, neque tempus veniæ arripere, neque ad meliorem frugem redire conatur, sed in impietatis via progredi audet, è mundo auferatur: & pij de iudicio DEI seuerissimo commoniti maturè vitam suam emendent, dignam Christianis pœnitentiam agant & animas corporaque sua ex flagranti iræ diuinæ incendio emendatione & integritate vitæ liberent, sicuti copiosè in primo huius libri capite ostendimus. Vt plurimum etiam euenire videmus, vt pij & iusti, qui inter bonum atque malum discrimen nullum adhuc

Hom. Iliad.

Peccata hominum primarias causas malorū.

Cur etiã in fantes plerũque his malis affligantur.

cognouerunt, eiusmodi humani generis hostibus succumbant aut propterea, vt pœnas & ærumnas grauiores effugiant: aut ideo, ne postmodo exemplis malorum hominũ corrupti iacturã animæ beatitudinisve æternæ patiantur: aut alias ob causas, quę nobis in hac ignorantię humanæ caligine occultæ sunt. Ab his verò causis, quas modò commemorauimus, omnes secundæ causæ & earũ effectus prorsus dependent, & physicæ siue naturales dicuntur eam ob rem, quòd in elementorum & rerum naturaliũ theatro cõtinuis mutationibus obnoxio diuinitus excitantur.

Secundariæ causæ à prima dependent.

Theologos in inuestigatione et mitigatione primarum causarum occupari.

Et sicuti rerum diuinarum inuestigatores atque doctores occupati sunt inuestigatione causarum primarũ & præternaturalium: atque pijs, necessarijs salutaribúsque admonitionibus, tempestiuis comminationibus & medijs siue rationibus diuinitus reuelatis illas mitigare ac transferre indefesso laborant studio: Ita rerum naturalium solertissimi inquisitores, partim astronomi ex astris & eorundem motibus atque configurationibus causas mutationum, ærumnarum & calamitatum, quę in his inferioribus mundi partibus interdum contingunt, colligunt & sapienter ratiocinando explicant: partim intra elementarem regionem mentis suæ iudicium & ratiocinationem coërcentes medici tantùm inquirunt mutationes tempestatum & qualitatum in aëre, vt & errores cognoscere laborant, qui

Astronomos causas mutationum et flagellorum diuinorum ex astris scrutari.

Medicos ex elementorũ cõstitutione petere causas morborũ.

in

in quotidiano hominum victu contingere frequenter consueuerunt, &, veluti longa experientia testatur, in humanis corporibus euidentes alterationes atq; morbos noxios efficiunt. Nos itaque in inuestigatione causarum externarum, à quibus epidemia illa febris dependebat, extra nostræ professionis limites pedem hoc loco minimè efferentes, conuertemus animum & oculos ad doctissimas diuini Hippocratis obseruationes, per quas medicos in inuestigatione causarum externarum & morborum populariter grassantium dirigit. Dicit autem princeps ille medicorum acutissimus lib. 3. Aphor. part. 1, mutationes temporum potissimùm morbos gignere & irregulares siue prę-ternaturales calidarum vel frigidarum qualitatum excessus in aëre facere: eodem modo morbis pluribus occasionem atque materiam subministrare. Vbi manifestè indicat intempestiuas aëris constitutiones æquè morbos generare, atque errores, qui inordinata victus ratione committuntur, fœcundam scaturiginem & efficacem occasionem languoribus ægritudinibúsque præbere solent. Deinde libro 6, epid. part. 8. Aphor. 25, commonet medicum, vt singulari cura ac diligẽtia inquirat de causis morborum externis, cùm ait Solis æstum, frigus, humiditates siccitatésque consideranda esse, vt cognoscat, per quæ, quibus & in quæ mutationes fiant. Est enim eorum cognitio apprimè

Mutatio aeris morbos parit.

Æstatis illo anno temperies qualis fuerit. Plin. lib. 2. cap. 47. Auster humidus frigidiórque est.

vtilis medico ad causarum internarum inuestigationes & morborum curationes. Initium autem æstatis, sub cuius finem febris illa putrida populabatur, habebat inconuenientem, inæqualem, & tamen magna ex parte Austrinam aëris constitutionem. Erat enim cœlum ferè continuis nubibus obductum, frequentes stillabāt pluuiæ, quę messoribus, colonis & omnibus penè hominibus intempestiuę erant, quòd tum eorum operæ in colligendis frugibus impediebantur: tū aër, circumdans humana corpora, frigidior paulò, quàm Austri natura ferre solebat, atq; humidior, quàm aut anni tempus,

Naturalis æstatis temperies quæ sit.

quod naturalem temperiem aliàs solet habere eam, quæ ad caliditatem & siccitatem in aëris qualitatibus & humanorum corporum constitutionibus euidēter declinat; aut humanorum corporū sanitas æstatis tempore sustinere consueuerat: non nihil hominū corpora, quæ aëri eidem sese imprudenter committebant, afficiebat, & pororum cutis modò constrictione, modò reseratione inæqualē caloris naturalis constitutionem atq; operationem efficiebat. Cùm itaq; ęstas ferè per integrū mensem & amplius naturalem suam temperiem in aëris qualitatibus non haberet, sed manifestam frigiditatem ac humiditatē præ se ferret: fieri non potuit, vt non intemperies æstati & corporum humanorum constitutioni sanæ inconueniens quippiam noui in humanis corporibus moliretur.

retur. Hoc eò faciliùs fieri potuit, quo magis intemperies illa aëris, quæ planè morbosas & lethiferas mutationes in humanis corporibus excitare consueuit, vt tradit Hippocrates lib. 3. Aphor. part. 15, vbi inquit ex anni constitutionibus in vniuersum siccitates imbribus salubriores ac minùs mortiferas esse, incidit in æstatem, quæ secundum naturalem anni constitutionem in aëre calidas & siccas qualitates requirit. Hanc aëris æstiui constitutionem fuisse causam præcedentem febris epidemiæ statuimus, quòd illa variè affecerit calorem naturalem & non nihil pituitosarum superfluitatum produxerit, quæ postea impedimentum dederunt calori naturali, vt bilis substantiam idoneam generare non potuerit, vt paulò pòst copiosiùs docebimus, quando de interna huius febris causa agemus. Potuisse autem talium morborum materiam fœcundam per eiusmodi aëris inconuenientem constitutioné in humanis corporibus produci, docet idem Hippocrates lib. 3. Aphor. part. 16, vbi asserit in pluuiarum multitudine, præter alios morbos, vt sunt alui profluuia, putredines, morbi comitiales, torpor & angina, magna ex parte etiam febres longas fieri. Si itaque diutiùs illa aëris constitutio durasset, neque valde calida & sicca temperies subsecuta fuisset: febres illas longas & periculosas fieri potuisse non longè à vero abest, quæ ob contrarium aëris tempera-

Humida intemperies est maximè morbosa.

Quales morbi in intemperie aeris frigida & humida generentur.

mentum, causarum internarum nō admodum copiosam quantitatem, neque valde excedentem earundē intemperiem, omnino longæ esse non poterant, etiamsi fiebant: neque periculosæ fieri valebant, quòd aëris constitutio, quæ pluuias subsequebatur paulò priùs, quàm febris epidemia vires exercere inciperet, cū morbi temperamento conspirabat. Etiamsi verò hæ febres longæ esse non poterant: tamen continuæ cognoscebantur & molestum ægris dolorem capitis cum alijs symptomatibus inferebant. Saltem in eo apparebant benignæ, quòd neque admodum acrem ardorem in membris externis, neque vehementem sitim, neque internarum partium acrem vstionem, neque scabritiem linguæ, neque continuas vigilias, neque alienationem mentis, vt plerumque febres ardentes facerē solent, ægris hominibus afferebant.

Cur febris epidemia longa esse nō potuerit.

Caput quartum.

De causis febris epidemiæ internis.

Abdita & interna causa cur dicatur.

De interna autem huius febris causa, quam Celsus abditam vocat eam ob rem, quòd tantùm peritis medicis diligenti inuestigatione innotescat, vt certi quippiam percontando & inuestigando cognoscere possemus: insistendum esse necessariò putabamus vestigijs veterum medicorum, quorum dicta cùm veri-

veritati & rationi rectæ admodũ consentanea sint: instar oraculorũ non immeritò hactenus ab omnibus rei medicæ peritis censentur. Dicit autem Hippocrates in libello de natura humana, Hyeme in humanis corporibus abundare pituitam eo tempore omnium humorũ frigidissimam: Vere ex pituita in corporibus hominum copiosissima sanguinem fieri & indies maius crementum sumere eam ob rem, quòd frigora illo tempore remittant & imbres niuésque relaxentur: vnde in humanis etiam corporibus mutatio fiat ob ambientem corpora nostra aërem, qui dierum tempore procedente humorum pituitosorum coctionem in corpore humano suis qualitatibus iuuat, dum cum recreat & poros cutis relaxat, atque adminiculo est naturali calori tum temporis incrementum roboris sumenti ideo, quòd fuliginositates, quibus per hyemem coarctabatur & adgrauabatur, per poros cutis reseratos expeditè expellat & copiam pituitosorum humorũ exactiùs coquat resoluátque, vt illo anni tempore sanguineus humor augeri atque abundare præ reliquis corporis humani humoribus soleat: Æstatis initio sanguinem quidem vigere; verumtamen bilem paulatim accrescere & incrementum eò vsque sumere dum reliquis, qui in corpore humano existunt, humoribus dominetur: Autumni verò initio bilem flauam abundare, quæ temporis progressu in atram bi-

Qui humores singulis anni temporibus dominétur in corporibus humanis.

lem mutetur ita, vt maximum incrementum illo anni tempore in massa humorum, quibus corpus humanũ nutritur, habeat dominiúmque sibi in reliquos humores potẽter assumat. Ex his prudenti cuilibet, qui rei medicæ notitiam habet, facilè patet continentem causam, quæ essentiam morbi producti constituebat ita, vt affectus maneret tantisper, dum illa in corpore præsens esset: & desineret, cùm primùm idoneis remedijs aut vi caloris naturalis auferretur, febris epidemiæ fuisse bilem flauam. Hic enim humor morbos acutos & febres ardentes, eásque continuas excitat, quando propter aliquam obstructionem intra vasa putrescit: vnde febrilis ardor & spirituum humorúmq; inflammatio communicatur cordi, & inde in omnes corporis humani particulas æqualiter diffunditur. Quicunque verò affectus ex hoc humore, substantia, quantitate, qualitate aut motu & fluxu non naturali peccante, fiunt: celerrimè ad statum suum properare aduertuntur, vt exoptatam sanitatem aut subitum interitum animantis corpori vitam habentis inferant. Quod febri epidemiæ fuit peculiare. Vltra quartum enim aut septimum diem non durabat in ægro corpore, nisi aut illud temperamento prauo fomitem maiorem morbo exhiberet, quàm secundum naturam ætatis & temperaturæ latitudinem sanitatis non excedentis, æstiuo tempore in quorun-

Febris epidemiæ causa materialis & interna fuit bilis.

Quos morbos bilis generet.

Morbos biliosos citò ad statum properare.

Febrem epidemiam fuisse celeris iudicij.

rundam hominum corporibus hic humor augeri consueuit: aut error aliquis tum in diæta, tum in medicatione committeretur, qui morbi causam materialem augeret, vigorem impediret vel symptomata exacerbaret. Humorem autem illum non fuisse purum, neque perfectè coctum, sed crudum & substantia admodum tenuem, vt puta, qui habuerit aliquantulum pituitosorum humorum coniunctum, quam humorum misturam plerumque bilem maioris famæ dicimus, ostendebant tum morbi essentia & calor, tum symptomatum exacerbatio. Cùm enim ab Hippocrate dicatur venas æstiuo tempore exiccatas ad se trahere acres biliosósque humores, qui materiam atque originem vehementibus febribus præberent, in quibus ardor acris, sitis vehemens, linguæ ariditas, scabrities & nigredo, tormina, alui deiectiones liuidæ, vomitus biliosi, acutus capitis dolor, oris amarities, cibi fastidium, vigilia, inquietudo & mentis alienatio frequenter apparerent: facilè conijcere poteramus bilem flauam neutiquam esse solam & per se suásque qualitates causam materialem huius morbi. Aliàs enim symptomata eadem morbo adfuissent. Ratiocinabamur verò ex præterita aëris intemperie bilem flauam adiunctum habere plurimum de pituita aquosa, quæ contraria sua qualitate bilis flauæ effrenem naturam & vehementem ardorem,

Bilem illam impurã fuisse.

Lib. 4. de victu acut. mor.

Pituitam aquosam admistam fuisse bili.

quando peccat & morbo aliquo eius malignæ qualitates intenduntur, non nihil reprimeret. Humor ille pituitoſus, tenuis & aquoſus, per aëris intemperiem, quæ æſtatis initio minimè conueniebat, productus & collectus, in humanis corporibus remanſerat: quem bilis flaua, feruens ex putredinali calore, quem leuis obſtructio producebat, liquabat & ſibi copulatũ per vniuerſi corporis habitum diffundebat in venis. Etſi enim æquè ex libro 6. Epidemiorum part. 6. Aphor. 6, vbi ait Hippocrates perfrigidam corporis temperiem fieri calidiorem in tempore & regione frigida, atque ex lib. 1. Aphor. part. 15, vbi ait idem medicorum lumen, ventres hyeme & vere calidiſſimos, & calorem innatum plurimũ egere multis alimentis: quiſpiam dixerit tantum abeſſe à vero, vt illa aëris conſtitutio, de qua in cauſarum internarum inueſtigatione pauca diximus, pituitoſos humores in humanis corporibus generaret, vt etiam contrarium fiat, nimirum calorem naturalem fortiorẽ optimè munia ſua obire & laudabili coctione bonum ſanguinem minimúmque excrementitiarũ & frigidarum ſuperfluitatum in corpore relinquere: vnde ſequeretur ſanguinem ipſum præbuiſſe cauſam materialem huic epidemiæ febri, cùm idem humor calidus & humidus à multis medicis cenſeatur, & non tantùm eiuſmodi morbos excitare, verùm etiam celeriter ad ſtatũ deducere propter ſuam con-

Diluuntur aliquot obiectiones.

consistentiam, quantitatem, qualitatē & motum siue fluxum intempestiuum consueuerit. Eundem enim sua bonitate facilimè caloris naturalis actionibus parere, vt concoquatur & à malignitate nocendi vindicetur: aut certè nimia sua quantitate æquè, ac venenosa qualitate, cùm putredinem spirat, lethales affectus grauissimáve symptomata subitò inducere posse. Vel, quod etiam inde sequi videtur, non modò non pituitosos humores per illam aëris constitutionem generatos esse in corporibus humanis: verùm etiam caloris naturalis efficaciam adurendo sanguinem per Veris tempus collectum generasse plurimum biliosorum excrementorū, quæ febrem illam accendissent. Tamen veluti puram bilem febris epidemiæ non fuisse causam materialem suprà euidentibus ostendimus rationibus: ita hîc eundē etiam monemus, vt meminisse velit etiam tum, quando pori cutis ob ambientis aëris frigidas qualitates clauduntur, & caloris naturalis vis in imo corpore coaceruata validiùs in alimēta assumpta agere solet: generari & colligi magnam fuliginositatum excrementitiarū copiam in toto corpore, & maximè in externis particulis, quando pori cutis conclusi non præbent liberam exhalationem abundantibus fuliginositatibus, quam calor naturalis tum, quando non impeditur constrictione pororum in cute, omnibus modis perficere conatur, vt se liberet à

nimia coarctatione, qua in angustum colligitur intra corpus animatum hominis, ne in externarum particularum substantia possit ita, quemadmodum decebat, munia sua perficere. Non itaque boni sanguinis copia in tali aëris constitutione generatur: aliàs enim censendum esset hyeme ac initio veris eundem humorem maximè abundare, quod omniũ medicorum sanç sententiæ reclamat. Sed pituitosorum humorum copia euidens incrementum sumit: & sanguis initio veris pituitosus admodum est. Qui cùm propter suam crassitiem obstructiones creberrimè faciat, quæ ad putredines & febriles inflammationes summè procliues & causæ earum principales sunt: fieri solet, vt plerumque verno tempore febres putridæ ac cõtinuæ generentur, in quibus natura morbi quiddam venenosæ qualitatis præ se fert ob sanguinis corruptionem, vt contagione quadam illæ affectiones in corpora, apta ad suscipiendam agentis causæ efficaciam, propagentur. In quibus febribus quando calor naturalis suo robore vincit materias peccantes, solet natura corporis humani ad crisim properare & materias illas beneficio sui roboris ad externã cutem propellere. Hinc petechiæ & ἐξανθήματα siue efflorescentiæ in cute, quas papulas dicimus, creberrimè oriuntur, quemadmodum ineunte vere eiusdem anni penè in vniuersa Germania fiebat, vt nulla penè vrbs, nullum oppidum,

Celsus lib. 5.

Quales morbi principio veris & vnde fiant.

Petechias & exanthemata cutis erpelli.

dum, nulla villa, nulláque domus ab hoc malo immunis existeret. Non modò enim infantes bimi & quadrimi, qui plerumque ob voracitatem illi ætati propriam in suis corporibus colligunt plurimum pituitosi sanguinis: verùm etiam iuuenes, virgines, viri & mulieres, qui viuendo mediã ætatem agebant aut etiam quadragesimũ ætatis annum contigerant, eiusmodi continuis ardentibúsq; febribus & symptomatibus similibus affligebantur, ijs tantùm intactis, qui benigno corporum temperamento præditi cautè temperantérq; vixerãt, neq; multum pituitosorum humorum per hyemis tempus collegerant. Quotquot enim humidiore frigidioréque temperamento erant natura: aut consueta viuendi ratione talem temperiẽ contraxerant: ij omnes putridis febribus & earundem symptomatibus affligebantur. Quod argumento certissimo est nobis illiusmodi papulas, petechias & similes morbos nõ modò non prouenire ex reliquijs tantùm menstrui sanguinis, vt pleriq; medici autumãt: verùm etiam tales materias in hyeme & frigidiore veris tempore colligi posse, ex quibus verno tempore, quando humores moueri incipiunt, febres putridæ & continuæ generantur, quæ in sua crisi talia symptomata gignunt. Quis enim affirmarit impudẽter, si concesserimus ætati puerili ex menstrui sanguinis reliquijs illa fieri, homines quadragenarios nondũ reliquias illas labore,

Lib. 3. Aph. part. 11.

Papulas nõ oriri ex reliquijs menstrui sanguinis tantùm, vt aliqui censent.

validο exercitio & caloris naturalis acrimonia concoxisse atque expulisse? Aëris itaque temperatura frigida & humida initio æstatis occasionem dedit pituitosis humoribus, qui tamen dominium in massa humorum non potuerunt planè occupare eam ob rem, quòd naturalis æstatis temperies pituitosorũ humorum naturę, consistentiæ & qualitatibus vehemẽter aduersatur. Sed tum ob intemperiem intempestiuã, tum breuis temporis spacium, quo durauit irregularis illa aëris constitutio, generabatur aliquanto plus pituitæ in massa humorum, quàm natura corporum humanorum illo anni tempore perferre aliàs solita erat. Huic, succedente æstatis temperie regulari, bilis flaua miscebatur ita, vt substantia bilis flauæ fieret crudior nõ modò, tenuior & subtilior, sed etiam celeriter ad fluxionem irritata per totum corpus ferretur. Illa turbatio & agitatio ferebat humores confertim ad epar, vt ibidem mediocris obstructio in venis subtilioribus fieret, quæ calorem præternaturalem siue febrem epidemiam accendit. Quam communiter pestilentialem qui dixerit, non admodum à vero aberrauerit. Etiamsi enim non valde perniciosa erat, neque multos ęgros interimebat, sicuti lues pestifera facere consueuit: tamen eodem ferè modo eodemque tempore plurimos homines subita inuasione corripiebat, vt efficacia & velocitate afflictionis quippiam commune cum venenosis,

Febrẽ illam etiam pestilẽtialem cõmuniter dici posse.

nosis, contagiosis siue pestilentibus febribus sese habere non occultè ostenderet. Et nisi diuina prouidentia humor pituitosus contrarijs suis qualitatibus in corporibus ægris restitisset feruori & ferocitati bilis flauæ: fortasse periculosa pestis extitisset, cùm ita ardorem febrilem tantùm in affectis corporibus excitaret. Sicuti itaq; censebamus copiam pituitæ aquosæ materialẽ fuisse causam bilis crudæ & fluidæ, quæ febres accendebat: ita etiam ratiocinabamur eandem pituitam infrenasse ferociam peccantis materiæ, ne potuerit violenter sæuire & lethalia mala excitare. Calor autẽ febrilis, communicatus cordi, spargebatur adminiculo sanguinis subtilioris & spirituum vitalium per arterias in totum corpus, vt ardor febrilis æqualiter in omnibus membris corporis affecti excitaretur, & non tantùm vapores calidi, verùm etiam humores feroci impetu per calorem febrilem concitati confertim ad cerebrum ferrentur. His cerebrum repletum incaluit & grauatiuum tensiuúmque dolorem propter panniculos repletos sensit, vt secundo capite huius libri copiosè ea de re dictum est. Resoluti autem ibidem vapores vnà cum humoribus in cerebrum delatis in quorundam hominũ corporibus, quæ parum de materia biliosa & pituitæ mista beneficio temperamẽti benignioris aut prudenti ac laudabili diæta collegerant, breui temporis spacio beneficio caloris natu-

Quomodo febrilis ardor accendatur et spargatur in corpore.

Causa doloris capitis in febre.

Causa catarrhi & tussis in febre illa.

ralis consumebantur atque digerebantur in cerebro, vt postea per nares ac alios meatus excretionibus talibus destinatos facilimè excernerentur. In iis verò corporibus, quæ aut frigidius humidiúsque temperamentum consecuta erant à natura, aut otio & inordinata victus ratione talem temperiem adquisiuerant, quæ plus pituitæ in illa aëris constitutione colligeret, maior erat pituitosorum humorum copia, ex qua tẽpore infebricitationis plures & crassiores vapores ad cerebrum eleuabantur. Hi ab ingenito cerebri calore resoluti destillarunt ad fauces & occuparunt bronchia, pulmones cauitatésque pectoris. Hinc voces fractæ, raucedines, difficultates anhelitus & tussis sicca molestáque ideo excitari solebant, quòd crebrò fauces à materia tenui, fluida atq; aliqualiter acri irritarentur: & tamen parum vel nihil citra molestum & multum conatum excerneretur, donec materia coctione aliqualíque alteratione incrassaretur & ad faciliorem eductionem præpararetur. Hæc autem febris epidemia comprobauit verissimam esse sententiã, quam tradidit Hippocrates lib. 6. Epid. part. 6. Aphor. 20. vbi dixit: οἷσι ῥῖνες ὑγρόταται φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσιν ἧττι νοσηλότερον· οἷσι δὲ τ' ἀναντία, ὑγιαινότερον. hoc est, qui nares habent humidiores & geniturain humidiorem, peius illi valent his, qui contrarium sortiti sunt. Nam ficciora corpora, quæ aut à temperamento ingenito talia

Humidiora corpora morbis magis obnoxia.

lia erant, aut temperantia, exercitio laboréque omnem humiditatem ſuperfluæ pituitæ digerere poterant, ab hoc malo vel prorſus immunia erant, vel leuiter patiebantur & ſtatim liberabantur. Non autem putredinem in ſanguine fuiſſe, ſed in bile maioris famæ, oſtendit etiam illud, quòd febres, quæ oriuntur ex putredine ſanguinis, ſint ardentes, acutæ, venenoſæ, contagioſæ & valde malignæ, præterea multis exitiales, quod tum ex peſtifera contagione, tum ab exanthematum petechiorúmq; vehementia apparet. Plurimi enim mortalium his morbis extinguũtur hanc ob rem, quòd in illis putredo corrumpat amiciſſimum naturæ humanæ humorem, in quo vitæ ſpiritus continentur: & præterea inficiat vitales cordis ſpiritus, qui animæ, caloris innati ac facultatum omniũ ſunt vehiculum. Hæc verò febris neq; valde acris & intenſa, neque admodum venenoſa, neque ſæuis ſymptomatibus tantùm, quantùm ſubita inuaſione terribilis, neque multis ægris exitialis fuit, ut ſuprà dictũ eſt. Quícunq; enim ægrorum hominum laudabili diæta vtebãtur, citra vllius medicinæ vſum intra paucos dies priſtinæ incolumitati reſtituebãtur. Minùs verò periclitabãtur in hac febre, quicunq; circũſpectos ſe gerebant in diæta, quando natura & qualitas morbi ęgrorũ hominũ temperamento, ætati, habitui & anni tẽpori congruebat: & peius illi habebãt, quibus nihil ſecũdum iſtorũ

Cur petechiis plurimi moriuntur.

Lib. 2. Aph. part. 34.

Venæ sectionem huic febri noxiam fuisse, & calidam diætam.

conueniebat. Quicunque verò venæ sectione in curatione huius febris vtebãtur, vel calidam diætam medicationémque incidentem & attenuantem adhibebant: diutiùs & periculosiùs non modò affligebantur, sed etiam plurimi ex his in viuorum numero esse desierunt. Erat enim venæ sectio morbo, causæ internæ, anni cõstitutioni & symptomatibus prorsus inconueniẽs. Nam per eam auferebatur humor naturæ ac vitæ humanę familiarissimus, qui & bili flauæ & pituitę potuit vires frangere: minuebatur calor naturalis, qui ob ęstatis temperiem ac febrilem calorem debilitatus dissipabatur & oppugnabatur ita, vt materiã morbi adgredi, concoquere & se súúmq; domicilium malo liberare nõ ampliùs valeret: humorum deniq; substantia tenuior & liquidior non modò, sed etiam ferocior ad fluxum fiebat. Qui verò calida vtebantur diæta & vinum bibebant merũ, incendium febrile augebant & humorum fluentium impetum promouebant: intendebant etiam noxias materiei peccantis qualitates, vt symptomata cum morbo exacerbarẽtur & vitæ periculum afferretur. Etsi autem bilis flaua pituitam, alienum humorem ab illo anni tempore, adiunctam habebat: tamẽ morbos longos & curatu difficiles minimè in corporibus humanis generare poterat, sicuti aliàs fit, quando ob errorem in victu commissum per multa tempora in corporibus alius humor generatur,

Cur febres longæ fieri non potuerint.

tur,quàm illo anni tempore in corporib' mortalium generari solet. Nam neque sua copia dominium habebat inter reliquos corporum humanorum humores,neque sua qualitate reliquis humorum temperiebus præcellebat,neque etiam humori iungebatur,qui eius substantiam atque qualitates intendere potuisset: sed & paruam quantitatem & consistentiam admodum tenuem habebat. Iuncta enim erat humori bilioso, qui sua qualitate calida & sicca non modò repressit pituitæ vires & qualitates, verùm etiam substantiam liquefecit, vt tenuior esset,neque obstructiones graues ac longas facere posset. Dum autem bilis flaua illum humorem in corpore inueniret,non potuit suam substantiam in debita consistentia adquirere, neque suam quantitatem augere, neque qualitates nimiùm intendere,neq; noxia symptomata,de quibus suprà dictum est,inducere: sed crudior, tenuior & ad fluendum pronior suo anni tempore generabatur. Bilis enim flauæ feruor & siccitas in mistura temperabatur à qualitatibus pituitæ, quæ coniuncta morbi causa præter id, quòd feruorem & acrimoniam bilis peccantis reprimebat, ne ardores acres,deliria,sitim vehementem, scabritiem linguæ, ἀγρυπνίαν & inquietudinem inferre morbo correptis corporibus valeret, nil quidquam euidentis noxæ inferebat: saltem id incommodi præstabat,quòd per bilem liquefacta in cor-

Cur febris vehementia symptomata habere non potuerit.

pore ferociter impetu suo flueret, leues obstructiones efficeret, ex quib. febrilis putredo initium sumpsisse existimatur, & denique destillationũ à cerebro ad fauces, bronchia, pulmones cauitatésque thoracis materialis causa in plerisque ægrorum hominum corporibus extaret, vnde raucedo & tussis sicca subsequebantur. Nam ob humorũ tenuitatem nihil per fauces egeri poterat de peccãte materia antè, quã frigefaciẽtibus & incrassantibus materia ad faciliorem expulsionem præpararetur. Pituita enim humor est frigidus & sua natura lentus, vt vt tenuem substantiã habeat, qui in aliqua corporis humani particula collectus latet ac quiescit tantisper, dum à calore naturali concoquatur, vel à præternaturali aliquo & putredinali calore fundatur, vel à particulæ expultrice virtute propellatur, vel denique bile flaua attemperetur, vt fluere in alias corporis humani particulas ac illas aliquo malo afficere possit. Ea propter neq; causa turbationis, quæ in humoribus extabat, per se esse, neq; febres acutas incendere, neq; tanta ferocia de parte in partem ferri & destillationes à cerebro ad fauces & thoracis cauitates efficere potuisset, nisi bilis flaua eum humorẽ temperasset, & ad motum fluxúmque violenter impulisset. Bilis autem flaua tenuis & subtilis humor facilis est ad motum ac promptissimè sursum fertur. Huius substantia tenuis admodum augetur, quando pituita

Natura pituitosorum humorum.

Bilis flaua natura & effectus, quãdo peccat.

pituita aquosa & subtilis eidem miscetur. Et nisi pituita sufficienti vel superabundanti quãtitate biliosum humorem refrenet, ciúsque feruorem & siccitatem reprimat: ardentissimæ febres cum horrendis symptomatibus eius impetuoso fluxu & feruore particulis valde noxio, in quibus secundum naturam non abundare consueuit antè, quàm motu intempestiuo ingeritur, excitantur, quæ plurimos hominum è theatro vitæ humanæ auferunt. Quod itaque sua efficacia minimè faceret bilis flaua, quando substantia, quantitate, qualitate motúque in corpore humano peccat: hoc maiore impetu & maligniore effectu perficit, quandò ab aliquali pituitæ copia attemperatur & exacerbatur, dum substantiæ illius tenuitatem addit, neque tamen feruorem & siccitatem superabundantem reprimit. Hoc fit, quando maior bilis copia in corporibus humanis collecta sæuit, quàm naturalis eius proportio ad reliquos humores fert, vt fit plerumque, in fine æstatis & initio autumni. Tũc enim bilis flaua suo anni tempore copiosè aucta reliquis dominatur humoribus in massa sanguinea: homines verò illaudabili diæta vtũtur & fructibus præcocibus atq; immaturis immoderatè intẽpestiuéq; vescũtur, ex quib. pituitã generari cõstat, cũ illi ipsi sint crudis humiditatibus & ad putredinem aptis pleni, vt puta à Solis radiis imperfectè cocti, quos calor naturalis humanorum

Quare initio autumni febres ardentes & periculosæ grassentur.

corporũ coquendo digerendóq; superare nequit. Hæc pituita cruda & quadam malignitate prædita miscetur bili ita, vt eam fluere promptiùs faciat, non tamén ferocientes qualitates in illa reprimat: vnde morborũ acutissimorum & lethalium fœcunda oritur materia, qui postea intenduntur & exacerbantur inæquali aëris autumnalis constitutione. Aër enim, qui autumni tempore ambit corpora hominum modò calidus, modò frigidus, aliàs caliditate sua poros cutis in corporibus humanis reserat & liberam euentationem calori naturali permittit ad expulsionẽ superfluarum fuliginositatum: aliàs verò qualitate frigida meatus cutis constringit & prohibet difflationes fuliginositatum, propter errores in victus ratione commissos superabundantium, quæ intra corpus contentæ præsens malum vitę aut sanitati plerumque portendunt. Illæ itaque difflationes vtiles & necessariæ sunt vitæ humanæ eam ob rem, quòd calor naturalis, ab illis superfluitatibus noxijs liberatus, sua munia in coctione, digestione & appositione alimentorum æquè, ac egestione excrementorum crassiorum, quæ animantis corpori noxam inferrent, si aut vltra iustum tempus in corpore humano permanerent, aut per vias eorum excretioni minimè destinatas intempestiuè prauéque expellerentur, expeditiùs & feliciùs agit. Hęc fuliginositatum ex esu præcocium fructuum & inordinata

Lib. 3. Aph. part. 4.

nata vitæ consuetudine intra corpus abundantium difflatio dum modò ab aëre promouetur & iuuatur, modò impeditur & planè supprimitur: fit, vt calor naturalis multipliciter afficiatur & eius actiones crebrò varientur, ex quibus incōmodis febres acutissimas & lethales vt plurimùm in autumno fieri consueuerunt, quę bilem flauam pro essentiali causa, vt dictum est, habent non puram, sed maioris famæ dictam, cui nimirū pituitosæ serositates admisceantur.

CAPVT QVINTVM.

De curatione febris epidemiæ.

AEGYPTIIS lege cautum erat, ne quis medicorum ante quartum diem ægro homini manus admoueret. Etsi enim Ægyptus & medicinis abundabat, & studium medicum tanta animorum sedulitate atque industria coleretur, vt ferè tot essent medici in ea quot ægrorum hominum: tamen nolebat quippiam antè fieri in morbis, quàm aut morbi radices agere aut naturales corporum ægrorum vires prosternere aduerterentur. Accedit & illud, quòd plurimi morborum adeò maligni sint, vt neque eorum natura, neq; causa interna inuestigari possit antè, quā signis symptomatibúsq; manifestis prodatur. Hoc autem tempore, quo à medicinis abstinebant, vel ieiunia vel vomitus fieri volebant, quòd existimabant aut in-

Ægypti lex de curandis morbis.

gluuiem aut intemperantiã esse originem morbi in tam temperata regione, in qua non facilè aëris vitio morbi gignerentur: quam si auferrent inedia vel euacuatione vẽtriculi, morbos facilimè abigi. Hæc consuetudo Ægyptiorum, ad quos Homerus, Pythagoras, Plato & præcipui apud Græcos philosophi se olim contulisse ferũtur nullam aliam ob causam, quàm vt laudandam & vsibus humanis apprimè vtilem ingenii morumque culturam inde, vbi per populum DEI, posteros Iacobi, artiũ optimatum semina feliciter iacta erant, ad suos redirent; apud nos & alios populos, quorũ climata intẽperata sunt, locum habere neutiquam potest. Etiamsi enim plurimi morbi corpora humana inuadant, qui aliquando adeò benigni sunt, vt vltra diem quartum non durent, sed naturæ robore expugnentur & abigantur, vt facultatibus & membris ægri corporis exoptata sanitas redeat, qualis etiam febris epidemia fuit, de qua agimus: tamen non tantùm omnibus medicis, verùm etiã infimo cuiq; ex plebe constat sæpe in nostris regionibus tam sæuos in humana corpora grassari morbos, vt serò nimis illis succurreretur, si auxilia afflictis corporib. adhiberi in quartũ diem differrentur. Tutius itaq; erit, ex sentẽtia Hippocratis, in principiis morborũ prudenter & cautè mouere atq; auferre ea, quæ morbi materialem causam continere censentur, vt in vigore & morbi consistentia quie-

Strabo lib. 7.

Legem AEgyptiam apud nos locũ habere non posse.

Lib. 2. Aphor. part. 24.

quietem ægro corpori dare tutó possimus. Quod tantò securiùs fiet, quātò magis tum de morbi substantia causaque interna, tum de viribus ægri hominis medico cōstiterit. Grassantur enim plerūq; acutissimi morbi in humana cōuersatione, qui ob materiei multitudinē ac malignitatem citò ad statum properāt & intra quartū diem naturā corporū ægrorū adeò debilitant, vt frustra deinde auxilia per præstantissima pharmaca adhibere ei coneris, aut planè intra id temporis spaciū prosternunt ac iugulant. His nisi ex sententia Hippocratis tēpestiuè extrema adhibueris remedia, actū erit de vita languentiū hominū. Materia enim horum morborū vehementissima ac ferocissima est in continuo motu & cū impetu irruit in particulas primarias, quarum virtutes & actiones sua multitudine atq; virulenta malignitate tā acriter & strenuè oppugnat, vt postea medicinis nihil efficias, quando vires corporū ægrorum ꝓstratę victoriā morbo cōcedunt. Tunc enim morbus, qui in principio debilis erat, vigorem suum adeò potēter in naturā cedentē exercet, vt de viribus restaurandis planè actū sit. Sicuti autē medicus naturæ adhuc validæ robur conuenientibus medicinis & laudabili diæta conseruare atque aduersus morbum excitare feliciter nititur: ita omnem operam perdit & pręsentissimis remediis fidem apud vulgus detrahit, suā præterea famam & industriam in discrimen ponit, quādo morbis primùm victoriam

Lib. 1. Aph. part. 6.

Lib. 2. Aph. part. 30.

Occasione & virium robore adiutus medicus felicius agit, quàm si illis adiumentis destituitur.

è manibus eripere & proſtratam exhauſtámq; viribus naturam redimere laborat. Neq; ſanè medicationes omnes fieri prohibet Hippocrates in acutorum morborum principijs, quando ait libro 1. Aphoriſ. part. 24, rarò medicinis purgantibus locum eſſe in principijs morborũ acutorum. Dicit enim cum præmeditatione id ipſum faciendum. Quibus verbis innuit medicos prudenter & dextrè perpendere debere, an neceſſariò auferendæ ſint internæ cauſæ morborum acutorum: an verò mediocris illarum copia qualitatéſque non admodum vehementes ſint, vt tutò coctionem moliri atque pręparationem adgredi poſſint, priuſquam eas conuenientibus auxilijs extra affectum corpus ducere nitantur. Quæcunq; enim neceſſariò fieri debere cognouerit medicus: illa neutiquam in curatione morbi omittenda ſunt, ni infidelitatis & homicidij crimen ſubire velit. Neceſſariò autẽ multitudo tanta & tam vehemens malignitas materiei peccantis, quam naturæ vires citra noxam non poſſent tantiſper ſuſtinere, dum ad coctionem perueniret, eſt à perito medico minuenda & infrenanda, ne languidi corporis vires debiles interuentu longioris temporis omnino proſternantur. Aliàs enim rem bene felicitérque gerendi occaſio, quæ fronte tantùm capillata & in occipitio planè calua eſt, ſubitò præterit & medicum honore atq; præmio priuat. Hanc verò incautam oſcitantiam & ſupi-

Neceſſitas potior lege.

Occaſio non negligenda.

ſupinam negligentiam poſtea miſeri homines, de quorum corio & vita agitur, morte luctuoſa luere coguntur. Cuius præcepti nos fideliter admonet diuinus Hippocrates, cùm ait concocta medicinis mouenda eſſe & non cruda, niſi admodum turgeant. Et quanquam ibidem dicit Hippocrates plurima in principijs morborum non turgere: tamen hoc non abſolutè de omnibus morbis dictum eſſe vult, ſed tantùm de chronicis & ijs morbis, qui in primo ordine acutorum morborum à medicis collocantur & decimũ quartum vel etiam quadrageſimũ diem contingere nõ rarò ſolent. Conſtat enim plurimorũ morborum eam eſſe malignitatem & vehementiam, vt aut in principio ſtatim extremos ægris corporibus inferant labores, aut temporis progreſſu adeò maligni fiant, vt poſtea nullis remedijs expugnari poſſint, etiamſi Chiron, Æſculapius, Podalerius vel Machaon ijſdem præſentiſſimis antidotis obuiam ire & medicas manus inferre niterentur. Eam ob rem neutiquam ceſſandum in talibus malis, etiamſi vel ſenſim oriri vel cauſas cognitu faciles habere exiſtimentur, vt propterea tutiſſimi appellari poſſent: Sed principijs obſtandum, cùm ſerò medicina paretur, quando mala per longas inualuêre moras. *Lib. 1. Aph. part. 22.*

Vidi ego, quod fuerat primò ſanabile, vulnus
Auxilium medicæ pòſt ſuperaſſe manus,

Quando neglectum progressu temporis acre
Contraxit, nullo subueniente, malum.

Ecclef. cap. 10.

Recentem enim & breuem languorem faciliùs præcidit industrius medicus: sicuti ægritudo inueterata, quæ iam radices in corpore debilitato egit, admodum graui molestia afficit tum ægrum, qui aliàs impatiēs est & optat citissimè ex periculo vitæ eluctari atque in pristinum incolumitatis viriumque statum redire: tum medicum, qui morosas festinantis ægri flagitationes sustinere & curis solicitudinibusque multis affligi cogitur. Sed inuenias hoc nostro seculo homines ineptos & barbaros, qui contemptu quodam donorum Dei flagrant maximo, & tantùm pii prudentesque apud vulgus videri volunt, cùm nihilo plus, quàm infantes, intelligant. Hi frequenter garriūt & media diuinitus humanę infirmitati cō cessa, vt iisdem sustentetur & iuuetur, eleuant atque contemnunt. Dicunt enim contra Dei arbitrium & voluntatem nullum hominum consilium, nullumque præsidium valere, quasi boni medici hoc ignorarent, & quippiam, præter Dei nutum, de sua facultate sanandi ægros homines ampliùs promitterent, dum munere suo ex ordinatione Dei apud ægros funguntur & exitum fauori eius benigno committunt, qui medicum & medicinam creauit: Eam etiam ob rem in talibus afflictionibus potiùs ad Devm piis precibus confugiendum & humi-

In barbaros contēptores donorum DEI.

humiliter patienterq; expectandū, dū malum meritū transeat: quod qui non faciunt, meritò eos iram Dei sibi cumulare & medicorū inscitia atq temeritate perire. Etsi itaque eiusmodi mysteriorū diuinorū contēptores in Devm, creaturas & omnē bonitatē Dei nimis, quàm decet Christianos, impii in suis erroribus relinquendi essent, cùm sanorū hominū prudens consilium & tempestiuos monitus neque admittant, neque cognoscere velint, quid veritate verbi diuini imbuti alii scribāt: tamē iisdem ob gloriā immortalis Dei & reuerentiam erga artes honestas, quas vsibus vitæ humanæ contulit clemētissimus Devs ex imperuestigabili suæ sapientiæ fonte, occinēdum est Devm in mirabilibus suis, quæ omnipotente verbo in vsum vitæ mortalis creauit atq; contulit, glorificari velle: hominib. mentem intelligentē dari, quæ variarū rerum, quib. vsus inest multiplex ad vitæ societatem, cognitione imbui possit, vt sapiētia & potētia Dei in creaturis agnoscatur & pietas timorq; Dei maior in hominū animis erga creatorē sapientissimū excitetur. Nā sicuti agriculturā ad victum humanorum corporū benignus Devs generi humano concessit: vt cōstitutiones imperiorū & rerum publicarum ipsosq; magistratus propter tranquillitatem publicā, & iustitię, honestatis, ordinisq; boni conseruationē, spiritu sapientiæ hominibus ostendit: Ita medicinam cōtulit eisdem, vt à variis infirmitatibus, quas eis quādoque im-

Stulto respō dendum, ne videatur sapere.

In quem finem medicina à Deo data sit.

mittit ira illius iustissima: quandoq; etiam propria imprudentia, temeritas, luxus, libido & intemperantia ipsis creat, liberari corpora hominum possint. Nihil enim esset vita humana, si perpetuis impedita morbis neque commodis priuatis, neque publicis vsibus seruiret. Vt autem propter nostra peccata interdum mala excitantur in mundo & certis præsidijs, quæ diuina misericordia ostendit & offert iusto tempore, quando nimirum homines ad pœnitentiam & vitæ emendationem redeuntes his opus habent, rectissimè abiguntur: Ita morbis varijs hominum genus quandoque exercet DEVS: & ijsdem etiam antidotos medelásq; profert per pios & eruditos homines, vt infirmitatibus hominum consuli & plures in vitæ fragilis theatro diutiùs retineri ad laudẽ DEI, emolumentum Ecclesiæ Christianæ & crementum societatis humanæ possint. Hinc sapienter dictum putamus ab Ecclesiaste capite 38, delinquẽtes in conspectu creatoris sui incidere in manus medici, nimirũ vt ab eodem virtute DEI & præsidijs cõuenientibus in pristinum sanitatis statum restituti grata mente misericordiam DEI cognoscant, mirabilem eius sapientiam & potentiam in rebus creatis perpendant, fideli animo DEVM colant & creaturis neutiquam abutantur, mulò minùs artes, propter gloriã DEI, emolumentum Ecclesiæ Christianæ & vsum societatis humanæ diuinitùs inuentas adspernen-

Finis restitutæ sanitatis.

nentur, quod impij & blaſphemi faciunt, quibus tandem iuſtiſſima improbitatis & cõtemptus huius merces contingit. Pijs itaque precibus & humili ſubiectioni, qua placatur DEVS in tanta malorum graſſantium clade, quando emendatio vitæ accedit, adiunxerunt & adiungere debent pij omnes media, quæ humanis vſibus à DEO collata ſunt & quotidie ex fonte benignitatis ampliſſimo in nos abundant. *Pios media à DEO conceſſa nõ negligere debere.*

Quanquam itaq; hæc febris epidemia ob exiguam materiei putreſcentis copiam durabat breui tempore & ſymptomata mitia habebat: tamen in acutorum morborum numero planè reponenda cenſebatur, eam ob rem, quòd intra paucos dies ad ſtatum ſuum contendebat, & poſt ſe in pluribus hominũ corporibus pectoris affectus, de quibus antè dictum eſt, relinquebat. Accedit & illud, quòd materiam habebat ſubtilem & acutam, quę in motu conſtituta ferri per totum corpus deprehendebatur. Ex quibus palàm fit, ſubita ei auxilia adhiberi debuiſſe. Alioqui enim fieri potuiſſet, ſicuti etiam pluribus accidebat ægris, quòrum corpora impura habebant magnam peccantium humorum copiam, vt febris illa cum ſuis ſymptomatibus exacerbata fuiſſet, & vel diutiùs afflixiſſet, vel planè è medio ſuſtuliſſet corpora, quæ ab eadem affligebantur. Nam febres continuæ ſi tertia die exacerbationẽ maiorem habeant, magis periculoſæ exiſtimantur. Quo- *Febrem epidemiam fuiſſe acutã et ſubita auxilia poſtulaſſe.* *Lib. 4. Aph. part. 43.*

cunque autē modo de malignitate ac vehementia sua remiserint, periculo se vacare significāt. Ne itaq; in horum hominū corporibus, qui metu periculi & vitæ dulcedine adducti implorabant medicas operas in nostra republica, quippiam grauioris periculi ex ferocientibus humoribus generaretur; curabātur iidem tum conueniente victus ratione, tum medicatione, quę morbo, causis morbificis, symptomatibus, viribus ætatique ægri hominis, anni tempori, cœli constitutioni & locis affectis competebant, vt ex sequentibus legenti facilè patebit.

Qua curādi ratione vsus fuerit.

Capvt sextvm.

De victus ratione, in febre epidemia obseruari solita.

Victus ratio in morbi curatione obseruari solita.

QVi medica auxilia expetebant, iis præcipiebatur, vt post vniuersalem corporis euacuationem, de qua deinceps dicturi sumus, bona victus ratione vterentur. Cùm autē morbus, causa morbi & anni tempus prę se ferrent caliditatem & siccitatem: principio quidem ægros nostros iubebamus vitare apricum solem meridianumque aërem. Quod vt commodiùs fieret ab illis, contubernia septentrionem & occasum respicientia eis commendabantur. Qui verò talia non habebant, iis præcipiebatur, vt interdiu, præsertim tamen in meridie fenestras, quæ meridiani Solis radios alioqui reci-

Aër & habitatio.

recipiebant, clausas tenerent ac aperirent eas, quæ Aquilonari aëri expositæ erant: noctu verò aërem intromitti liberum concedebamus. Sic aërem, quo natura destituebamur, solertia animi frigidum quærebamus, vt qualitates febrilis caloris reprimi, causæ materiales faciliùs alterari ac imminui, intemperiesque aëris illo anni tempore corrigi posset. Dum tamen alterationi aëris intenti eramus, danda erat opera, ne in contrariũ vitium delaberemur & nimia alteratione plus pituitæ aquosæ in corporibus ægris generaremus, ex qua aliud & grauius malum oriri potuisset. Aliàs in contuberniis aquã frigidã simplicem, aut ex rosis, violis, plantagine, lactucis, endiuia, solano, taraxicone & similibus destillãdo collectam, cum aceto simplici aut ex rosis facto, in mensas, scamna aut pauimentum in tali statu creberrimè effundere iussissemus. Sparguntur etiam in tali aëris, corporum & morborum constitutione capreoli vitium, ruborum, rosarum syluestriũ, folia recẽtia nymphęæ, salicis, semperuiui, lactucæ, endiuiæ, portulacæ, cucumerũ, cucurbitæ, papaueris, melonum, vitium aut gramen ante Solis exortũ falce recisum dum adhuc viride rore nocturno madet, in pauimento contubernii, quod ægri homines incolunt. Deinde in cibo & potu suadebamus abstinendũ tũ ab omnib. calefacientibus, acrib. & salsis, quæ facultate sua humores inflãmare, ad motũ

Quousq; alterationi insistẽdum erat.

Gal. lib. 9. & 10. Meth.

Cibus & potus.

incitare & febris qualitates intendere poſſe cenſebantur, qualia ſunt aromata & cibi aromatici, pinguia, valde ſalſa & vnctuoſa edulia, allium, porrum, raphanus, radicula, cæpe, ſinapi, aniſum, cardamomum, piper, calamus aromaticus, zedoaria, gentiana, zingiber, çoriandrum, fœniculum, petroſelinum, cuminum, careum, daucus, menta, ſerpillum, ruta & alia, quę facultate calefaciendi, incidendi & attenuandi pollent: tum ab ijs, quæ ſua ſubſtantia & facultate in corpore humano humores pituitoſos, craſſos, lentos glutinoſóſque producunt, vel maſſam humorum craſſam nimis efficiunt, vt ventoſitates obſtructionéſq; in meatibus corporis humani morbo debilitati gignere atque ita morbi cauſam primariam augere poſſe æſtimabantur. Talia autem ſunt legumina, fructus præcoces, piſces omnes, pręter ſaxatiles, carnes ſale maceratæ, porcinæ recentes æquè, ac veteres, frixa in butyro, rhiemata, placentæ & quæcunque ob dulcedinem ſuam facilè inteſtinis veníſque meſaraicis adhærent. Conſulebamus verò, vt vterentur carnibus pullorum gallinaceorum, agnorum & hœdorum cum limonibus aut modico aceto, quod non nimis acre eſſet, coctis, lactuca cum modico oleo oliuarum immaturarũ, admodum exigua quantitate ſalis & aceto macerata, vel etiam per ſe aut cum ſpenachia, blito, portulaca, endiuia, atriplice, acetoſa & ſimilibus herbis cocta. Ditiorum hominum

num mensis potuisset non incommodè adhiberi in ijs locis, vbi in promptu erant & facili ære comparabantur, agresta cum carnibus cocta, aut succus eius iusculis carnium mistus, granatorum succus & vinum, acetositas citrij mali & similia. Pisces squamosi & in aquis petrosis durísque viuentes nulli medicorum in talibus morbis improbantur, siue elixentur siue assentur, modò neque nimium salis admittant, neq; aromatis calidis condiantur. Fiebant etiam aliquibus iuscula ex emulsione seminis lactucæ, papaueris, cucumerum, melonum, cucurbitæ & citrulli. Præterea præparari iubebamus ægris pluribus polentas & iuscula ex confracto hordeo & auena omnino contrita aut saltē à corticibus emundata, ex cerasis acetosis & similibus, quæ vim roborādi ventriculum & refrigerandi feruorem biliosum reprimendíq; ardorem febrilem præ se ferunt. Quibus autem consuetudo erat longo vsu recepta, vt biberent vinum, ijs dabatur vinum album, tenue aut probè aqua fontana, clara & bona, aut cum destillatis aquis acetosæ, taraxiconis, endiuiæ, cichorij & similibus dilutum. Eo vtebantur in prandio & cœna: reliquo diei noctísq; tempore facilè à potu abstinebant. Non enim vehementi siti torquebātur ægri homines in hac febre propter causas suprà allegatas, quibus adstipulatur etiam sententia Hippocratis. Ait enim ille lib. 4. Aphor. part. 54, si febribus ar-

dentibus accedant tusses siccæ, quæ leuiter irritentur, ægra hominum corpora non admodũ siti torqueri. Qui verò à vini vsu facilè abstrahi poterant, ijs aqua hordeacea simplex aut cum iulebis & syrupis conuenientibus temperata dabatur: Pleriq; emulsione seminum frigidorum cum aqua hordei pręparata delectabãtur: plurimi nihil horum admittebant, sed contenti viuebant vulgari huius regionis potu, qui ex tritico & aqua fit, nec multum lupuli assumit, quæ ratio & causa est, quòd plus refrigerare, quàm calefacere hominũ corpora soleat: plus tamen calefacientis facultatis contineat, quàm aqua hordei, quæ cum mistura iuleborum, syruporum aut emulsione seminum frigidorum præparatur. Qui dulcia in potu auersantur, ij in talibus temporum ac morborum statibus ad aquam hordei affundere possunt aquã aut succum acetosæ, endiuiæ, fumiterræ aut aliquantulum aceti. Lautioris fortunæ hominib. etiam cõuenit succus acetosus citrij mali, limonum, granatorum acetosorum & alia potus gęnera, quę in talib. morbis solertia & industria doctissimorũ medicorum cũ magnis aliquãdo impensis ægris delicatis præparari præcipit. In his autem cautio & commonitio diligens adhibebatur, ne ægri homines nimiùm se cibo aut potu replerent, propter calorem, qui naturalis est hominum corporibus, tũ ex ambiẽtis aëris qualitatibus: tũ ex febrili ardore dissipatum ac debili-

debilitatum. Tertiò omnem motum omniáque exercitia intermitti consultissimum erat. Præcipiebatur itaque affectum febrilem sustinentibus, vt ocio & quieti, quantum per occupationes fieri licebat, ijdem indulgerẽt: quanquam plerisq; hoc ipsum morbi molestia iniũxit, vt præter suam voluntatem ab omnibus animi ac corporis exercitiis cessare cogerentur. *Exercitium & quies.*

Quartò somnũ ęgris concedebamus sufficientem, cùm eundem neq; morbus, neq; symptomata admodum impedirent. Vtiliorem enim eundẽ vigilijs esse ratiocinabamur ex eo, quòd Hippocrates lib. 2. de ratione victus in morbis acutis Aph. 59. dicit ex vigilijs immodicis cruditatẽ imperfectámq; alimentorũ coctionem prouenire. Somnus autẽ calorem naturalem, qui tempore vigiliarũ per totũ corpus dispersus in externis membris munia nutritioni mẽbrorum singulorũ necessaria strenuè perficit, reuocat ad interiora, vt in naturalib. instrumẽtis facultatum naturaliũ adminiculo alimentũ assumptũ meliùs concoquat, humores rectiùs præparet & vtilia ab inutilibus prõptiùs segreget. Tũc enim cæterarum facultatum actiones quodã modo cessare & vires suas quiete recreare vidẽtur: animi ęgritudines curæq; mulcentur: passiones membrorũ nonnihil corrigũtur, & vires exhaustæ diurnis laborib. atq; morbis reficiuntur paulatimq; restituuntur: Naturalis verò facultatis actiones fortiùs & rectiùs agũt. Quam ob rem rectè ait Hippocrates lib. 2. de *Somnus & vigilia.* *Commoda somni.*

ratione diætæ in morbis acutis: *ἀγρυπνίη ἐν μὲν πᾶσι σιτίοισι βλάπτει. ὕπνοι δὲ βεβρωκότα θερμαίνοντες ὑγραίνουσι τὴν τροφὴν ἐς τὸ σῶμα διαχέοντες.* Vnde fit, vt calor innatus, tempore ſomni nouo robore munitus, per totum corpus alacriùs aduerſus morbum luctetur & expeditiùs feliciúſq; materiam morbi oppugnet. Nimiæ verò vigiliæ calorem naturalem debilitant & præternaturali ardori robur addunt, vt ſecuriùs per membra languida vagetur & humidum naturale depaſcatur, vnde non tantùm maior languor, ſed etiam præſens vitæ periculum ægro homini naſcitur. Quintò tum morbi natura, tum anni tempus docebant ægris corporibus noxã creari, ſi ad ſatietatem alimentis replerentur. Dabatur itaque eis mediocris cibi potúſq; quantitas, quæ neque vaſa nutritiuæ facultati ſeruientia, ſua ſubſtantia lædere, copia multùm tendere & grauare, neque qualitatibus noxijs imbuere, ac alterare nimiùm, neque denique virtutem debilem ampliùs affligere poſſet. Nam cùm in acutis morbis, qui celeriter properant ad ſtatum, exquiſitè tenuem victum requirat Hippocrates, ne videlicet intempeſtiua nimiáque nutritione vires debiles naturæ obruantur, dum diſtrahuntur & calor naturalis à materiæ peccantis coctione ad alimenti aſſumpti præparationem auocatur: illa regula in febris epidemiæ curatione omnino non negligenda erat, cùm ob cœli conſtitutionem calor naturalis

Vigiliarum nimiarũ incommodum.

Inanitio & repletio.

ralis diſſiparetur & à febrili putredinalíque calore ampliùs oppugnaretur. Nihilo minùs tamen habebatur ratio virium,ætatis,vitæ generis, ſexus & conſuetudinis apud ægros homines,qui febre epidemia laborabant. Conſtat enim morbos bilioſos nimijs ieiunijs exacerbari & materiam eorundem augeri atque malignitate ferociáq; intendi tantò magis,quanto ægri hominis temperamentum naturale, ætas, vitæ genus,ſexus,cõſuetudo,regio & anni conſtitutio proniora ſunt ad productionem bilioſorum humorum. Omnis etiam dabatur opera,vt euacuationes tam vniuerſales,quàm particulares,quæ ægris corporibus & eorundem particulis in hoc morbi epidemij decurſu competere videbantur, tempeſtiuè dextréque adhiberentur. Nam cùm eſſet cauſa morbi κακοχυμία talis,quæ ex cauſis ſuprà recitatis non admodum coctione indigebat,cõuenienti pharmaco per aluum educebatur:deinde concocta reliqua materia,adhibebantur ægris corporibus auxilia,quibus particulares euacuationes magis promouerentur. Nam in quorundam languentiũ corporib⁹,quibus humores ad fauces ac pectus ferebantur,locum habuerunt excreationes,vt per tuſſim ac ſputum materia cocta educeretur:In quibuſdam verò hominibus materia ferebatur per meatus vrinæ cum ſeroſis humoribus ad veſicam : In quibuſdam verò alui egeſtiones ſuperfluitates noxias extra cor-

pus efferebant: Aliqui etiam sentiebát euidentem copiam humorum peccantium per nares efferri: Et per autium meatus non nihil de ijsdem humoribus eductū fuisse creditu non absurdum est. Sicuti itaque in hoc intendendum esse censebamus, vt totum corpus perspirabile esset, atque ideo meatus excretioni superfluitatum destinati haberentur aperti: Ita, quò natura motu suo vergebat in expulsione noxiarum humiditatum, modò locus ille conueniret, eò ducere omni studio nitebamur, ne quippiam aduersus motum illius moliremur. Noxium enim illud ac molestum fore censebamus, si aduersus morbum acriter pugnanti & consuetas vias excretionum sponte sua eligenti naturæ contrarium motum induceremus. Sextò iram & omnes animi motus perturbatiorúmque insultus, qui massam humorum inflammare & bilis flauæ ferociam intendere atque ad externa corporis ægri membra liquando fundere valent, quantum dabatur, euitandos censebamus. Id eam ob rem fiebat, ne humores biliosi augerentur, néve eorundem malignitas intenderetur & morbi qualitates atque symptomata maius crementum acciperent.

Lib. 1. Aph. part. 21.

Animi affectus.

Capvt septimvm.

De medicatione febri epidemiæ adhibita.

CVm febris hæc epidemia in populo recēs vagaretur, plurimos inuadebat ingēs trepidatio.

pidatio. Quamobrem multi ægrorum hominum metu mortis & solicitudine de incolumitate recuperanda compulsi medicorum consilia & operas implorabãt. Ex quibus aliqui cõtenti erant vnica humorum peccantium subductione: aliqui etiã à digestiuis, electiuè purgantibus, alterantibus & roborantibus medicinis non abhorrebant. Posteaquam verò plurium ægrorum reualescentia ostenderet morbum esse mitem & tutum ideo, quòd periculo mortis careret & facilè periodum suam in corporibus ægris absolueret: plurimi hominũ patienter affectiones febriles sustinebãt. Vbi tamen voces fractas & impeditas ex acris catarrhi descensu à capite ad pectus cognoscebant & per aliquot dies perferebant: tandem auxilia medica implorabant. Quam ob rem non omnibus eadem medicamenta conueniebant: sed mutanda erat medicatio in morbi temporibus, vt peritis medicis satis constat. Quicunque itaque auxiliis medicis in principio morbi cupiebant liberari ab eiusmodi malis: ijs ætatẽ iuuenilem atq; consistentem agentibus, si erãt virilis sexus, in forma boli cum saccharo præparati dabatur flos recens Cassiæ, electuarium lenitiuum, aut Diaprunum compositum in sufficienti quantitate. Hæc etiam diluta competentibus liquorib. exhibebantur ijs, qui liquidiori medicamentorum forma vti malebant, quàm bolis. Frequenter tñ offerebatur iis, qui validiora corpora habebãt & purgãte medicamẽto vti

Timor inito multos compulit & ti medicamentis.

Euentus morbi postea multos securos reddidit.

Certam curandi methodum non obseruatam in omnibus ægris.

Vniuersalis euacuatio quibus fiebat.

volebant, electuarij de ſucco roſarum in forma ſolida pręparati pondus drachmarum quatuor in aurora: & præcipiebatur ijs, qui medicamentum ſumebant, vt ieiunium trium horarum à ſumptione medicamenti perferrent ac illa die aërem liberum vitarent. Aliquibus etiam Diaturpeti cum Rheu Barbaro compoſiti drachmæ quatuor exhibitæ ſunt. Hîc præterea locum habere potuiſſet electuarium Eleſcoph, Diaphœniconis, è pſyllio & ſimilis facultatis alia, ſi in iuſta quantitate data fuiſſent ijs, ex quorum corporibus vnica purgatione radicitus peccantem materiam auferre voluiſſemus. De pilulis quoque, quas aureas, adgregatiuas, ſine quibus eſſe nolo, Arabicas & Stomachicas Meſuæ cõmuniter appellamus, iuſtum & conueniens pondus in aurora offerri vtiliter ſolebat. Sicuti etiam electuariorũ conuenientium pulueres in iuſculis carnium & domeſticis decoctis concedebantur ijs, qui delicatioris ſtomachi malebant domi præparatis potionibus vti, quàm pharmacopœorum artem atque operas fideles experiri. Obtinebat tamen apud pharmacopœos & vulgus hominum, qui malebãt vili mercede vitam à periculo redimere, quàm magnos ſumptus in medicos ac medicamenta facere, locum & vſum frequentiorem in inclyta Olomucenſium Rep. electuarium de ſucco roſarum Nicolai. Nam cùm pharmacopœi aduerterent aliquibus perſonis illud feliciter

liciter per medicos exhibitum: ſtudebãt etiam apud vulgus venari famam eruditionis & felicis operationis. Eam ob rem non remittebant curam ægrorum hominum ad medicos: ſed falcem inſerentes in alienam meſſem vendebant omnibus viris & fœminis, quotquot remediũ aduerſus febrem epidemiam in myropolijs petebant, iuſtam quantitatem de electuario Nicolai, quod ex ſucco roſarum in forma ſolida proſtat. Neq; ſanè infeliciter operabatur, cùm intra biduum vel quatriduum reſtituerentur in integrum ſanitatis ſtatum ita, ne vllum ſymptoma remaneret morbi, qui ita purgati laudabilem diætam obſeruabant. Nam materia peccans, putredine febrili corrupta & in feroci motu conſtituta ſubducebatur per aluum, ne febris fomitem ampliùs haberet, neque etiam fluxionem moleſtam ad pectus facere poſſet. Fœminis verò, virginibus & intra pueritiæ adoleſcentiæve fines conſtitutis dabantur mitiora, qualia ſunt flores Caſſiæ, electuarium lenitiuum, Diacatholicon Nicolai, Diaprunum compoſitum, manna aut ſyrupus roſatus ſolutiuus ita, vt hæc liquoribus competentibus frequenter temperarentur, aut pro arbitrio ægri hominis in forma boli cum ſaccharo exhiberentur. Dilui enim hæc in talibus affectionibus poſſunt ſtillaticijs aquis acetoſæ, endiuiæ, cichorij, roſarum, violarum, lactucæ, taraxiconis & ſimilium: aut in earundem herbarũ, ſeminum

radicúmve decoctis propinantur, ſicuti medico videtur è re & commodo ægrorum hominum fore. Hac euacuatione peccantis materiæ feliciter peracta plerique ægrorum hominum contenti erant adeò, vt præter aquam hordei & diætam præordinatam nihil admitterent, cùm releuatos ſeſe non nihil ſentirent, neque admodum opus haberent vlteriore diuerſione, præparatione vel eductione humorum. Nam naturæ robur, nil quidquã morbi violentia debilitatum, reliquá morbi materiam concoquebat & egerebat, ne quid noxæ corpori reualeſcenti ampliùs accideret. Hoc fiebat faciliùs in corporibus ægris, quæ non multum de peccante materia coaceruarant: in aliis verò corporibus, quæ impura valde erant & materierum peccantium multitudine grauabantur, non tam facilis curatio fuit. Horum itaque aliqui, quorum res familiaris lauta erat, vnde impenſas in medicos numerare & medicinas ſoluere poſſent, admittebant digeſtionem materierũ, quæ poſt vniuerſalem euacuationem qua plurimum de materia peccante auferri debebat neceſſariò, quòd illa ſtatim ab initio morbi turgebat & feroci impetu de parte ad partem ferebatur, in eorum corporibus reliqua erat. Fiebat autem materierũ peccantium præparatio frequenter per ſyrupos de ſucco acetoſæ, roſarum, de endiuia, de cichorio & li-

Quibus digeſtiua vſui fuerit.

& ſimilibus: rarò cum ſyrupo de iuiubis, de acetoſitate citrii mali, de limonibus, de granatis acetoſis & aliis, qui inſtituto medici competere putabantur. Hi enim diluebantur aquis deſtillatis, quas ſuprà enumerauimus, & aliquoties in aurora tepidè offerebantur. Ita, quidquid de ſubſtantia humorũ bilioſorum in corporibus ægris ſuperabundabat, minuebatur & alterabatur, ne putredine ampliore iidem corrumperentur, etiamſi febrilis inflammationis ſemina quædam obſcura ſupereſſe in membris debilibus aduerterentur, donec curationũ periodi abſoluerentur. Quos interim ardor febrilis grauiùs affligebat, propter materiæ morbificæ multitudinẽ, aut intenſas qualitates & habitum corporis febrili diſpoſitioni magis aptum, illis non modó circa cor applicabantur epithemata, ex aquis acetoſæ, adianti, roſarũ, violarúmve facta, quibus addebantur ſpecies diamargariti frigidi, diatrion ſantalon, fragmẽta lapidum precioſorum pręparata, & alia, quę præſenti negotio congruere cenſebantur: verùm etiã caput aduerſus vapores calidos muniebatur aqua roſacea, cui aliquando nõ nihil aceti roſati admiſcebatur. Interdum etiã fronti oleum roſaceũ, cum aceto roſaceo miſtũ, quod ὀξυρόδινον Galenus appellat, admoueri ſolebat. Hæc fiebant, donec materia cocta & pręparata euacuaretur radicitùs purgante medicamento, qđ plerumq; ſumebatur ex ijs, quæ cõmemo-

Localia adhibita.

ad Glauc.

rauimus paulò antè, vbi de vniuersali corporis euacuatione egimus. Obseruabatur tamen hęc regula, vt ratione quantitatis materiei peccantis, virium, ætatis, sexus & consuetudinis ipsius ægri aliquando dosis in medicamento augeretur, aliquando minueretur. In hoc enim negotio dominatur maximè occasio & solertia artificis, qui videre solet, quomodo, quando, vbi, quid & quantũ de humoribus in corpore humano peccantibus auferre debeat, cùm plerique robustorum hominum ne tentarẽtur quidem purgantibus medicinis, quas debiliores homines & ij, quorũ aluus facilè aperitur, cum prospero successu assumunt, si deberent æquale cum his pondus vsurpare. Norunt autem eruditi & exercitati medici faciléq; intelligunt ex consideratione circumstantiarum, quæ in curationibus ægrorum corporum expendendę veniunt, quid & quantum cuique ægro citra periculum exhibendum sit. Tandem ad symptomatum residuorum correctionẽ & remanentis materiæ resolutionem progrediendum erat, quæ potissimùm à medico in ijs fiebant corporibus, quæ aut nullis erant tentata medicinis in morbi principio, aut malã diætam post euacuationem præmissam adhibuerant. Nam sicuti hi, qui præceptis medicorum statim ab initio morbi parebant, facilimè in integritatis statum restituebantur, neque admodum indigebant medicinis, quibus residuum resolueretur

Occasio & solertia artificis praeceptis validiora sunt.

Symptomatum correctio & residui resolutio quomodo fiebat.

tur aut intemperies corrigeretur, cùm diæta laudabilis id ipsum sufficienter præstaret: Ita illis corporibus, quæ intemperaturam debilitatémque in capite, faucibus ac pectore sentiebant post febrem victam & expugnatam, necessariò adhibebantur medicamenta, quæ materiam, in capite contentam & stillantem ad fauces ac pulmones, coquerent, incrassarent, absumerent aut educerent: membra denique spiritalia roborarent. Plerisque itaque, pro sistendo tenuium humorum ad fauces & pectus defluxu, sufficiebat confectio, quam manum Christi simplicem & compositam cum perlis vocatam myropœi præparant: alijs dabatur Diamargariton frigidum. Quibus verò materia iam fluxerat ad pulmones & cauitates thoracis, ijs non modò poterant exhiberi syrupi coquentes & præparantes materiam peccantem ad faciliorem eductionem, quales sunt syrupus de iuiubis, de papauere simplex & compositus cum aquis stillaticijs vel decoctis competentibus: sed etiam adhibebantur lambitiua, vt puta Loch sanum, Loch ad asthma, Loch de pulmone vulpis, mel violatum, rosatum, & similia, vt asperitas faucium mitigari, acrimonia humorum educendorum obtundi & materia digesta per sputum faciliùs educi valeret. Præter hæc pectus exteriùs inungebatur oleo rosato, violato, & amygdalino. Hoc enim pectus dilatat & eductionem humorum iuuat: illa su-

Pituitam in thorace digerentia.

Sputum educentia.

Inunctiones pectoris.

perfluitatum ad eductionem præparandarum consistentiam incrassant, vt faciliùs screando reijci eædem possint. Qui humidorum illinitionem atque assumptionem auersabantur: illos contentos esse decebat electuario, quod Diatragacanthum frigidum dicitur, & trochiscis Bechij albi. Hæc offerebantur ijs, quorum natura moliebatur eductionem superfluorum per screatum & tussim. Quorum verò natura videbatur humores tenues & acres ad renes dirigere atq; cum vrina expellere, illis, febre abacta, mediocriter calida dabantur alimenta & medicamenta, vt vrinæ egestio rectiùs faciliúsque promoueretur, donec materiæ noxiæ prorsus educerentur. Talia erant semina διουρητικὰ in puluerem redacta & iusculis cibísq; admista vel potionibus iniecta, Diaireos Salomonis, Dianisum, Diahyssopum, Diatragacanthon calidū, & plura, quæ huic instituto accommodari consueuerunt. Denique intemperiei relictæ correctio & roboratio membrorum sæpe fiebat ijs præsidijs, quæ intra corpus sumebantur, vt alimenta, de quibus in victus ratione satis egimus, & medicamenta, qualia erant conseruæ rosarum, violarum, acetosæ, nympheæ, quibus interdum admiscebatur quippiam de trochiscis galliæ moschatæ, berberorum, rosarum, caphuræ: aut de electuarijs, vt species frigidæ de gemmis, Diarhodō Abbatis, Diatrion Santalon, &c. Hæc enim subigebantur cum syrupo

διουρητικὰ.

Intemperiei correctio & loci affecti roboratio.

rupo aut melle violato siue rosato, cum succo acetosæ, citrij mali, granatorum aut limonum. In curationibus opulentiorũ ægrorum etiam adhibere potuissemus fragmenta lapidum preciosorum præparata, si animus nobis fuisset, vt ijsdẽ sumptuosas antidotos exhiberemus. Extrinsecus etiam regioni epatis admouebantur epithemata, olea, linimenta, vnguenta emplastráq; quibus aliqualis refrigerandi & adstringẽdi vis inest, ne videlicet humores à reliquijs febrilis caloris inflammati recidiuam excitarent, quæ peior morbo multis ægris extitit. Frequentissimo autem in vsu erant oleum violarũ, rosatum omphacinum, nymphex, vnguentum rosatum Mesuæ, Infrigidans Galeni, cerotum santalinum, & quæcunque similis efficaciæ habebantur. *Localia alterantia.*

Diuina autem benignitas & inenarrabilis misericordia, quę in iustissimo iræ cuncta creata deuorantis furore reminiscebatur humanæ infirmitatis, & temperans pœnas, peccatis multis ac horrendis nimiùm meritas, clementia atque affectione paterna, qua corripit suos, ne cum impio mundo in nefandórum scelerum via progredientes damnentur, adspirabat non modò operibus medicis benignum fauorem, vt felices operationum euentus experirentur: sed etiã in medio mali grassantis furore seruabat plurimos ex his, qui nullis medicinis vsi humili patientis animi obedientia sese flagello *Epilogus.*

merito ſubmittebant, & à DEO, creatore ſuo fontéque miſericordiæ largiſſimo, liberationem petebant atque expectabant, vt malum illud ſubito tranſitu vniuerſum orbem Chriſtianũ affligens paucos abſumeret. Illius Nomen & brachium fortiſſimum ſit benedictum ac laude honoréque ſuper omne nomen exaltatum in æuum,

Amen.

FINIS.

Pag. 9. lin. 28. lege ἐπίστασθαι.